UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Gladivs Israel

Reindel, Philipp

Ingolstadii, 1644

urn:nbn:de:hbz:466:1-46272

Visual Library

Th. 2714.

J. I
32

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

GLADIVS ISRAEL

QVO

velut ex symbolo declaratur

quî fortis Christianus

septem lethifera possit


vitia triumphare.

Soc.tis Jesv Paderb. 1637.

AVCTORE

P. Philippo Reindelio.

Societatis IESV



Cum facultate Superiorum

INGOLSTADII.

TYPIS GREGORII HÆNLINI.

ANNO CIↃ. DC. XLIIII.

Wolf. Kilian F.



REVERENDISSIMO ET AMPLISSIMO DOMINO

MAVRO

ORD. S. BENEDICTI,

MONTIS SANCTI ANDECENSIS Cœnobij inclyti Vigilantissimo Abbati D. obseruandissimo.

ANnus jam non vnus effluxit, Amplissime Præsul, *cùm ad D. Mauritij Ecclesiasten, licet indignum, agere Ingolstadij iussus, vnà etiam Præses Sodalitatis S.* MARIÆ *de Victoriâ constitutus sum. Hanc in rem Gladium Israel ante triennium vernaculâ nostrâ linguâ conscripsi, quo sodales mei septem lethifera sternere vitia*

possent. Hoc ex tempore plures monuére me, vt Telum hoc meum Romano etiam calamo donarem, quibus meritò me obsequentem dare debebam, hócq; auctiori opusculo præstare. At verò nondum partus hic meus vltimam receperat manum, cùm ad te subitò spectare cœpit, à cuius Religiosa & eruditâ dexterâ Tolleretur. Trahebat me ad hoc obsequij genus, non solùm in me infimum, sed & minimam Societatem nostram eximius fauor tuus, quo perpetim Ordinem nostrum amplecti soles, accedebat etiam, quòd à puero inter politioris litteraturæ palæstram sudabimus Monachij. Vrgebat porrò Virtus tua, quâ pridem mundi

Hy-

Hydram calcans, ad altiora Christianæ Perfectionis fastigia S. Benedicti miles inclytꝰ euolâsti. Parco verbis, quæ tua me modestia loqui nō sinit. Hoc vnico libellus hic exultat meus eo quòd tam nobilem vaginā nactus sit, sub cuius tutela in lucem prodire audeat: inde ad te properat, cuius Tiaræ Pedóq; subiectus ad prælum volare possit. Ingolstadij: Quarto Nonas Ianuarij 1644.

R.mæ & Ampl.æ Dominationis Tuæ

Humilis in Christo Seruꝰ.

Philippus Reindelius
Soc. IESV.

STate ergò succincti lumbos vestros in veritate, & induti loricam Iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euangelij pacis: in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi extinguere: & galeam salutis assumite: & gladium spiritus (quod est Verbum Dei) *ad Ephes. 6.*

PARÆNESIS AD Christianum.

MAximo quondam apparatu Philisthini in Hebræos bello perdendos ruebant, velut 1. Reg. 13. facer nos Textus docet, eóque maiori Iudæorum periculo, quo minus Hebræi armis inopes tantæ hostium potentiæ se obijcere auderent, quippe

Faber ferrarius non inueniebatur in omni terra Israel: cauerant enim Philisthijm, ne fortè facerent Hebræi gladium, aut lanceam.

accessit insuper maioris quoque Infortunij coronis, quando ex tanta armorum egentia,

descendebat omnis Israel ad Philisthiim, vt exacueret vnusquisq; vomerem suum, ligonem, & securim, & sarculum.

verùm neque hinc vllum rei ſubſidium fuit:

Retuſa enim, erant acies vomerum, & ligonum, & tridentum & ſecurium, vſq; ad ſtimulum corrigendũ. Cumq; veniſſet dies prelij, non eſt inuentus enſis, & lancea in manu tertius populi, qui erat cum Saule & Ionatha; excepto Saul, & Ionathæ filio eius.

Peſsimè actum, cùm res eo redijt vt Hebræi contra ferrum ſuis tantummodo manuum brachiorúmque oſsibus ſe defendere cogerentur. & hanc Philiſthæorum fallaciam ſeu ſtrategema alij etiam notant jam olim in Hebræos exercitum, cùm Iudic. 15. Samſon aſini mandibulâ hoſtes inuaſit, alijs quaſi jam tum armis deſtitutus. Habeat ſe res vt velit, ſimilia relinquimus doctis interpretibus.

Nos

Nos illud maximè hic hostium dolus monet, diabolum nempe astutum illum stygis cuculum, quo cum semper Christiani habent, quod pugnent, id potissimum laborare, vt arma nobis suffuretur illa, quibus ipsi resistere, & nociua tentationum tela retundere valeamus. Verùm nullo pacto negandum est, ea affatim arma per sacras partim litteras, partim sanctissimos Patres, imò libellos etiam asceticos vbiq; suppeditari, vt de nulla possimus inopia querelam mouere. sed illud multo maximè mirandum est, quòd nos, qui Christiani sumus, inter tantam quoque sacrorum armorum abundantiam, nihilominus tam crebro à stygijs hostib⁹ adeò turpiter in fugam demur, terga vertamus, cædamur, & prô dolor

tam multi æterna internecione ad Inferos deuoluantur!

Sed quid multa querimur? factam rem hostis habet, cùm vel tela manu abijcis, vel te etiam capulo admouere dexteram piget. Miser ille imò nihili miles est, qui armis & munitione diues statim deditionem offert. Pugnare nemo vult, omnes tamen Christiani milites videri cupimus, perpetim interea de nobis triumphat Inferorũ cuneus. quid mirum? Iacemus desides, & ante pugnam vincimur. Verè nos quidem Tartari hostes iactamus, sed statim

Pugna suum finem, dum iacet hostis habet.

quàm pauci sunt, qui contradita per concionatores arma, vel hausta ad sacrũ tribunal confessariorum consilia, aut sacrorum libel-

lo-

lorum monita frugi faciant. impugnat ſuperbia, cadimus, vrget auaritia, manus damus & digitos, incendit libido, herbam & capillos Veneris porrigimus, pulſat Inuidia, aperimus, laceſſit Gula, ridentes cędimur, ſtimulat ira, & velut Iratus in Annibalem ſpumans, ſed mortuus miles in campo ſternimur, deditionem iubet Acedia, obſequimur & Iacemus. ſemper fundimur, fugamur. Omnes ferē Alcmenæ haberi cupimus filij, ſed rarus apparet Hercules. O væcordiam! Mi Chriſtiane: Eſto, quod audis. Eſto aliquando OEdipus, nō Dauus. Eſto in Stygem aliquando animoſus, ne in te ſis ferox, & animam tuam turpiter victori Orco proijcias. Quapropter hunc tibi gladium hodie in manum damus, pugna, vincendū

est tibi aut moriendum, certò apud Inferos cœnaturus, nisi dimices. Veterum Poëtarũ fabula est, Lernææ paludis incolam olim draconem septem capitum fuisse, cui si ferro vna fortè adempta fuisset ceruix, ex templo in vicem aliud ex altero caput succreuerit, & quia Monstro huic nullus expugnando suffecerit Heros, Alcidem hîc suas tentare vires aggressum esse, illudq; telis tandem & ignibus ita confeciſſe, vt tam ardenti Herculis studio extinctum sit, & in fumum abierit. Perinde tale monstrum est peccatum mi Christiane, quod resectũ sæpe in capite, radicem tamen in nouæ prolis fœcunditatem reseruat. Christiano ergo masculo opus est, qui suis pedetentim armis hanc bestiam sternat, & è medio tol-

tollat. Hanc in rem tibi Gladium damus, quo ſeptemplicem hanc feram glorioſior miles animosè adgrediaris, & in nihilum concidas. Frange huic malo audacter ſeptem capita, non decollabit ſpes tua, ſimili enim ratione populus Iſrael Deut. 7. Priuſquam optatam promiſsionis terram ingreſſus eſt, ſeptem gentes ſubigere debuit & expugnare, vt porro audiemus. Macte animo & Scanderbegi æmulus imitare robur illius, quod gladio deerit meo, tuus ſufficiet animus; petierat olim videre Turcarum Imperator Mahomet miraculum enſis Scanderbegici, quo multum ſæpe hoſtem ſecuerat medium; niſi ille, ſed quòd Turca nil ab alijs videret gladijs peculiare, reſpondit Heros, ſe quidem tranſmiſiſſe enſem illi

illi ſuum, ſed manum domi retinuiſſe. Ita mi Chriſtiane, ferro huic meo animoſam age dexterã commodes, feri, & Diuino nixus auxilio clama, Gladius Domini & Gedeonis, proſterne hanc beſtiam, quæ vt doloſus ſanè Retiarius, non piſcem, ſed te, ſed & animam tuam petit, Magna pars victoriæ eſt, & armis vti velle, & ſcire.

QVALES HI SEPTEM populi ac primùm Gergezaus ſuperbus.

Deut. cap. 7. legimus Iſraelitas ſuos Deum euſmodi verbis compellâſſe:

cùm introduxerit te Dominus Deus tuus in Terram, quam poſſeſſurus ingrederis, & deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum,

zæum, Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæũ, & septem gentes multo maioris numeri quàm tu es, & robustiores te, tradideritq; eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas &c. ad internecionem. Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum, neq; sociabis cum eis coniugia &c.

Licet verò Genesis cap. 15. populi decem vel vndecim numerentur Chananæorũ, quos bello sternerent Hebræi, attamen Deut. 7. & Iosue 24. septem tantummodo adferuntur, quòd vel diu antè aliquot eiusmodi gentes interierint, vel alijs immixtæ fuerint, quod apud Cornel. de Lap. in Genesis 15. caput, doctis concertandum relinquimus. Meminit tamen Cassianus collat. 5. cap. 16. hæc inter septem vitia vel hostes, alios quoque peculiares comprehendi posse,

se, qui ex his septem velut è fonte riuuli se effundant. Quemadmodum D. Th. 22. q. 162. a. 4. ad 4. vnius superbiæ solùm duodecim filias ex mellifluo Bernardo apponit. Primus ergo quem in arena adoriamur occurrit nobis

SVPERBVS GERGEZæus.

Gergezæus Latino Idiomate traductus dicitur Colonum Eijciens, velut Adamo euénit, quem fastus & paradiso exulem, & nos peræq; cum ipso in summas miserias præcipitauit.

Superbia verò teste S. Th. 1. 2. q. 84. a. 2o. est inordinatus appetitus Excellentiæ, vti & S. Aug. meminit. lib. 14. de ciuit. cap. 13. de hac Eccli. 10. sanctus ipse Spiritus effatur,

Odibi-

Odibilis coram Deo est, & hominibus superbia. §. 7.

Initium superbiæ hominis, apostatare à Deo, v. 14. sic & Gregor. In moral. ait, Reginam vitiorum esse superbiam, vnde lethalia septem exsurgant peccata, quæ in nos velut duces, cum pleno reliquorum scelerum agmine mouere soleant, dum alibi quoq; edicit, fastum esse pessimi & à Deo reiecti hominis triste augurium.

Notandum verò maximè ex Theologis est, lethali nos noxâ per hoc scelus pluribus modis maculari posse.

I. Si nimirum quis relicto à tergis Deo, totum finem suum in humanam gloriam & honorem deriuat. Perinde ac tumens ille Absalon ex Regum 2. libro argumentum dedit, dum Dauide ne-

gle-

glecto patre, in quem omnia transfundere debuisset, sibi soli tantùm fortunam in omnibus lusit, & eò tandem delatus est, vt parentis coronam & diadema suómet capiti accõmodaret. Ita multi prô dolor, qui Christiani videri volunt, non esse; neglecto parente Deo, & posthabitâ religione, vt ipsi natent, omnem erga Deum & proximos pietatem demergunt. Quis Absalonem non putâsset, amantissimam sui parentis prolem? dum 2. Reg. 14. adeò enixè Dauidis conspectum expetijt? sed tectis erat bis pellio tergis, & doloso sub pectore gerebat vulpem, tectum se Protea vulgo vendere assuetus, pica sagax timidam se columbam mentiri docta, quales multi hodie Pseudopolitici in omnes se norunt formas fingere, & columbæ grati esse

esse velle, & accipitri seruire, aselli ad aures tecti & animum. Quid enim ille superbus ardelio aliud factitabat, quàm vt parentis aspectu per Ioabum beatus eò tandem adreperet, vt fauore etiam populi coempto in illam cresceret potentiam, qua tandem in caput parentis miserrimam ludere Tragœdiam posset. Hinc sacer Textus cap. 15. v. 1. loquitur

Fecit sibi Absalon currus, & equites, & quinquaginta viros qui precederent eum &c.

Vides quo tendat astutus hic Vlysses? coronam petit vipera. velut de serpente Seneca profert Epist. 42. cùm torpet frigore in hyeme, nemini nocet, quia facultas nocendi abest.

Sic tutò serpens, inquit tractatur, dum riget frigore, non desunt tunc illi venena, sed torpent. multorum cru-

crudelitas & ambitio & luxuria, & paria pessimis audeat, fortuna fauore deficitur. Eadem velle eos cognosces, ea posse, quantum possunt

Continuit Absalon diu venenum quia exul & inops erat, at vbi exilio redux faciem parentis tutus aspexit; tum enimuerò quasi à latibulo renouatus serpens egressus venenum in auro præbuit. Cuius imaginem in Pyrrho facundè expressit Maro lib. 2. Æneid.

Vestibulum ante ipsum primoq; in limine Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruscus ahena.
Qualis vbi in lucem coluber mala gramina pastus
Frigida, sub terrâ, tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis nouus, exuuijs, nitidúsque iuuentâ
Lubrica conuoluit sublato pectore terga

Ardu-

Arduus ad ſolem, & linguis micat ore triſulcis.

En viuam Abſalonis effigiem, poſt exilium arridente Fortunæ Vere ſplendidus prorepit. cui ſimile cecinit Papinius lib. 4. Thebaid. vbi ſic de Tydeo:

---- Ceu lubricus altâ
Anguis humo Veris blanda ad ſpiramina ſolis,
Erigitur liber ſenio, & ſqualentibus annis
Exutus, latisq; minax interuiret herbis:

Jmò Religionem prætendit futurus Rex & cultum Numinis in Hebron venditat Alaſtor nequã, vt ſe colendum faciat. Meritò ergo in illum Chryſoſtomus Homil. de Abſolon. ita diſertus eſt,

Sceleſtiſſimus Abſalon &c. regnum inuadit, non vt cum patre ſocietatem regni iniret, ſed vt totum regnum

gnum patris sanguine possideret &c. Cuius parricida furor tot millia insanire compellit, Cuius dementia dementes efficit multos.

Sic pari se passu accommodauit Achitophel, qui parenti Dauidi cõsilia suggessit pia, Absaloni impia, vt si solem Absalonem Orientalem adoraret, haberet inde vt & ipse quasi Aurora micare posset.

Iste jam stylus mundi est parẽte Deo insuper habito, suam in crumenam ludere, & seu fas seu nefas sit, etiamsi cœlum rueret, & Ecclesia periret, eminere velle.

Notissimus iam Hector in aulis est malè politicus ille spiritus, qualis in Anglia olim magni nominis fuit Consiliarius, qui cum Maria, erat Orthodoxus, (vt putabatur) cum Elisabetha Cenodo-

doxus, & hæreticus fuit. Vnde cùm aliquando sciscitaretur, quid de se transmarini loquerentur principes, responsum accepit à viro Religioso. Domine ipsi aiunt te imitari orbes inferiores cœlorum, qui sequuntur motum primi mobilis, ita aiunt te sequi motum tuæ Reginæ.

Sed præstat porro amplius non dicere, cùm alius dicendi plura locus fortè se offeret, meæ mentis est iam libellum typo, non volumen dare.

II. Alter lethalis noxæ gradus est, si suo quis fastu proximi damnum spectat, exactionibus nimijs subditos premit, seseq; vt superbè pingat, alieni auri coloribus se inumbrat. Accedunt illi, præsertim muliebris sexus, qui vt in retia & Venerem viros trahat

omni

omni se orbi muliebri mundo vẽditat. Tales verò Theologorum, Oratorum sacrorum linguis amplius perlimandos relinquo.

Id solùm conqueror multos vt cum Epulone diuite in byssо & purpura incedere possint, etiam micas egenti Lazaro inuidere, & ne quid in canum & famulorum alendo numero deficiat, de pauperum vlceribus suos cum Epulone canes alere.

Trahuntur mulierum greges per castra, quæ vt elegantius vestiri possint, pauperis gregarij militis auerso etiam stipendio quasi exuuijs induuntur. Pugnandum bono militi etiam esurienti ventre, vt pro lasciuientis puellæ ornamentis improbus aliquis Procus omnium mulierum vir, è Regum thesauris, & misello subditorum

san-

sanguine, dimicet, quis venustiorem cloacam per castra circumferat, quam in multorum animorũ perniciem propinet. O Tempora O mores! Ita nempe multi Christiani Antichristum præueniunt. Sic passim jam vt byssо vestiaris, Infantulorum egentium te lacte perspergis & vt in purpura cum epulone fulgeas, rusticorum te sanguine conuestis, verè detestandus Ioab qui posuit cruorem prælij in baltheo suo 3. Reg. 2.

III. Porro superbia varijs se gradibus continet, quos cum Iacobo Aluarez. T. de vita spirit. ad nouem reuocabimus, vbi sanè magnum quoq; periculum latet ne sæpius in lethalem noxam deuoluantur.

1. Cùm quis omnia quæ in se æstimanda habet non à Deo acce-

pisse se putet, vel ita cum illis disponat, quasi à Creatore suo non accepisset, par Nabuchodonosori Dan. 4.

Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui?

2. Si equidem agnoscat à liberali se manu Numinis accepisse, sed non immerenti hoc sibi accidisse, vt innuit S. Ambrosius lib. 1. de Cain cap. 7.

3. Si agnoscat etiam à Deo sibi datum munus & quidem immerenti, verùm maiora esse in se, quàm in alijs. In hos similes detonat S. Gregor: 3. Moral. cap. 18.

4. Consistunt illi, qui, licet nôrint non ampliora ceteris se à Deo dona nactos esse, verùm inde insolescunt adeo vt putent se ab omnibus coli debere, & vt Dianam adorari,

5. No-

5. Notantur illi, qui equidem, non vt jam dicti delinquunt, verùm in eo se reliquis eminere autumant, quod minus cæteris peccare soleant. In hos S. Gregorius loc. cit. Ita inuehitur

Sunt, inquit, nonnulli, qui cùm parua agunt, de semetipsis magna sentiunt: in altum mentem subleuant, & praire se cateros virtutum meritis putant.

6. Reperiuntur sua excusantes delicta, & quidquid siniſtri agunt, quo nescio purgationis velo, omni se expedire culpâ laborant, qualis fuit Rex Saul, cuius fucis statim apud Samuélem, de hostibus Dei non deletis, vnum ex altero mantellum fuit obuium. 1. Reg. 15. Inde precatur Dauid psal. 140.

Non declines cor meum in verba malitiæ, ad excusandas excusationes in peccatis.

Ex Hebræo legi potest ad operandas operationes in peccatis. quasi idem sit excusare culpas, & nouas operari. Ita ibi S. Chrysost. ait:

Malum est quidem peccare, hoc autem facis grauius, negare; postquã peccauerãs.

7. Obnoxij sunt illi, qui primas vbiq; ambiunt partes, omniq; in re alijs prægredi volunt. qualem describit S. Bernard. de grad. superb. gradu. 7.

Primus, inquit, in conuentibus residet, in consilijs primus respondet, non vocatus accedit, non missus se intromittit, reordinat ordinata, reficit facta. quidquid ipse non fecerit, aut ordinauerit, nec rectè factum, nec pulchrè existimat ordinatum. Iudicat iudicantes, praeiudicat iudicaturis &c.

8. Illi sunt rei, qui, cùm suarum lau-

laudū præcones non habeat, ipsimet factorum suorum buccinatores esse contendunt.

9. Sunt vniuersim ambitiosi, quod vitium S. Bernardus Cacodæmonis cultum, & sacrificium appellat. In psalm. qui habitat serm. 6.

Videsne, inquit, quòd ambitionis sic adoratio diabolo est?

Eóq; tandem eiusmodi homo deuoluitur vt ex proximi cōtemptu, in superiorum despicationem labatur, & tandem ipsius etiam DEI spretor euadat.

Sic in compendio omnis malitia superbiæ ad hos reuocari gradus posset, qui sanè singuli libellum postularent integrum, quod tamen, vt dixi, mei jam officij non est.

Remedia contra superbiam.

Age ergo Christiane & manum capulo admoue, ne patiaris hunc Gergezæum viuere, qui tuam animæ vitam sitit.

I. Perpende in primis quid ipsi etiam olim pagani vel de solo ambitionis scelere naturæ ductu scriptum reliquerint.

Miserrima, ait Tullius, *est omnino ambitio, honorúmq; cõtentio* I. *offic.*

Et Seneca in Epist. 852.

Relinque ambitum, tumida res est; vana; ventuosa, nullum habet terminum: tam sollicita est, ne quem ante se videat, quàm ne alium post se &c. quid Cn. Pompeium in Africam, quid in septentrionem, quid Mithridatem & in Armeniam, & omnes Asiæ angulos traxit? infinita scilicet cupido crescendi, cùm sibi vni parum magnus videretur. quid C. Cæsarem in sua fata pariter ac publica immisit? Gloria & ambitio, & nullus supra ceteros eminendi

di modus. Vnum ante se ferre non potuit, cùm Resp. supra se duos ferret.

Sic etiã Lucanus lib 1. Bell. ciu.

Nec fert Pompeiúsue parem, Cæsárue priorem.

Phauorinus Philosophus apud Stobæum serm. 2. de prouid. aiebat ambitiosos partim esse ridiculos, partim odiosos, partim miserabiles. Ridiculos, quòd ad maiora adspirarent. odiosos, quòd ea consequerentur. Miserabiles, quòd sæpiùs spe fallerentur.

Timon verò auaritiam & superbiam seu ambitionem vocabat Elementa malorum. Quemadmodum enim ex Elementis generari omnia solent, sic ex auaritia & ambitione omnia quoq; scelera procreari.

II. Si quoq; sacrarum litterarum monumenta inspicias, vide-

bis vbiq; quàm acriter in ſuperbię vitium diuinus ipſe ſpiritus inſurgat. Sufficiāt nobis vel paucula ex plurimis tela. Prouerb. 6. v. 16. hunc in modum Deus ipſe per Salamonem intonat. Sex ſunt quæ odit Dominus, & ſeptimum deteſtatur anima eius. oculos ſublimes &c.

Sic & prouerb. 8. v. 13. Arrogantiam, & ſuperbiam ego deteſtor. & Eccli. 10. v. 7. odibilis coram Deo eſt & hominibus ſuperbia. Item Tob. 4. 14. ſuperbiam nunquam in tuo ſenſu, aut in tuo verbo dominari permittas: in ipſa enim initium ſumpſit omnis perditionis.

III. Reuoca in memoriā ſanctos Patres identidem in hoc ſcelus declamantes. velut S. Cyprianum l. 1. epiſt. 5.

Exal-

Exaltatio, inquit; & inflatio, & arrogans ac superba iactatio, non de Christi Magisterio, qui humilitatem docet, sed de Antichristi spiritu nascitur, cui exprobrat per Prophetam Dominus. Tu autem dixisti in animo tuo: in cœlum ascendam super stellas Dei ponam sedem meam &c. Isa. 14. v. 13.

Inde mirum non est diuini Numinis vltione sæpiùs crimen hoc petitum esse. velut Luc. 10. 18. videbam satanam sicut fulgur de cœlo cadentem.

Sic structores Turris Babel cõfusi sunt Gen. 9. Core Dathan & Abiron castigati Num. 16. 4. Saul reiectus 1. Reg. 15 Senacherib. plexus Isa. 37. Nabuchodonosor depressus Dan. 4. Holophernes extinctus. Judith. 6. Aman suspensus Esth. 7. Antiochus percussus

2. Machab. 9. Herodes vermium factus pabulum. Act: 12.

Occurrat nobis S. Chrysostomus deterrimos superbiæ effectus apponens. Homil. 43. ad pop. Ant. *Nullum, inquit, malum par elationi. Hominem reddit dæmonem blasphemum, contumeliosum, periurum, cupidum cadium, & homicidiorũ. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mœret, nihil est quod eum possit explere libidinem &c.*

Eiusmodi hominem nō hominem ad amussim describit S. Ambrosius lib. de Noe & arca cap. 16. quem lege.

Quin imò superbi ipsi superbos detestari solent & execrari, en inquiunt, cerne mihi hunc Thrasonem, hunc Martis Trossulum, hanc simiam, tumidam, inflatam bestiam & verminans opus. quàm lon-

longo se metitur cubito hic Nanus? quomodo se cum Iunone circumspicit Harpyia. Satius est cum stulto agere quàm cum tam superbo graculo. Omnia sibi se inclinare subsellia putat, & in suo semper ouo binos vitellos numerat, simúmque suum Hesperios autumat hortos esse. Phy fœtens supercilium! Hæc superbi mundi in elatos Encomia eduntur, quid modestissimi cœlorum genij adclamabunt?

Et sanè fastiditi sunt eiusmodi homines.

Hinc Bellè D. Gregor. lib. 14. mor. c. 18. & 20 ait:

Cunctis superbâ apud se cogitatione tumẽtibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in

imaginatione, erectio in incessu, rancor in responsione &c.

IV. Sed apponamus suspirioſum aliquem glorię Tantalum, qui nouus Lucifer in Germania magnus ſui admirator priori ſęculo in theatrum prodijt, is cùm ſartor eſſet, rem ſe omnem acu tangere æſtimabat, ſed telas araneæ texuit Iſa. 59. 5. & qui Rex eſſe voluit, inter ſuos tandem ſatellites etiam Carnificem inuenit. Eſt is Ioannes de Leyden Batauus dignum Anabaptiſtis caput, quo cum Acheronte velut Cerbero gloriarentur. Monaſterium Weſtphaliæ vrbem peſtilens hæc turba inſederat Anno 1534. cùm ſartor hic ſuis è fraudibus conſutus, popularis captator auræ rudi plebeculæ perſuaſit, ſe nimirum cœleſti genio monitũ à Deo deſtinatum, qui tanquam

alter

alter Dauid populo Israel Iura daret, & Iustitiæ tutor vniuerso imperaret orbi, illúmq; qui secus faxit, suoq́; se imperio aduersum sisteret, ferro & igne persequeretur. Cùm itaq; facili negotio plurium animos in se inclinaret, suæ quamprimum superbiæ, lasciuiæ ac Tyrannidis egregia orbi exempla propinauit. Duxit illico, Veneris procus multas vxores, seséq; ac suos, vt splenderet insolētiùs cum vipera, direpto è templis auro sacrilegè conuestiebat, coronam triplicem puri putiq́ue auri capite circumferebat, torque gemmis consertâ, collo, qui reste debuerat, radiabat, pomum aureum manu gerens cui exigua crux superfixa stabat his verbis interscripta: Rex Iustitiæ super terram. Ensem denique aureum ar-

argenteo ex capulo productū circumferebat.

Jnde vt melius coronaret sua scelera, de concubinarum plurium numero vnam esse Reginam voluit, quæ splendenti Gynæconitide, (melius prostibulo dixeris) omnium ad se oculos allectaret. Certis porrò hebdomadæ diebus populo audientiā indulgens multo cum comitatu se foras effudit, sequebantur illum equites proximi adolescentes duo, quorum à dextris alter sacrum volumen seu Biblia & coronam gestabat auream, alter à læua gladium ferebat. Jn foro solium erat auro stratum, quo, vbi consedit impostor, quisq; dicturus causam erat curuato bis poplite, vnamq; vicem pronus in terram prostratus adorare oraculum debebat. Longum esset prodi-

digiosæ huius insaniæ deliramenta pertexere, quæ in ea tum vrbe visebantur.

Vt verò sua dogmata latius posset fundere, quosdam in vicinas legauit vrbes hoc ritu. Tubæ cantu aliquis velut Propheta ad primariæ ædis atrium populum conuocat: adsunt illico confluentes armati quater circiter mille, stat Mensa ferculis & carnibus onusta, considunt omnes, Rex cum Regina ad cyathos stant vt diætarij. Peracta ferè cœnâ Rex singulis panem porrigit his verbis: Accipite, comedite, nuntiate mortem Domini. Regina poculum ministrans: Bibite, inquit, & annuntiate mortem Domini. Finitâ hac mensâ mille viri, qui in excubijs erant succedunt in cœnam. quâ insuper absolutâ, editiori loco au-

audientiam facit populo tubicen, rogat, an omnes Dei verbo obsequi velint? Annuentibus statim omnibus pronuntiat eam esse Patris voluntatem vt in quatuor orbis plagas abeant ex vrbe, qui doctrinam inde haustam in alios deriuent.

Leguntur è schedâ viginti & octo, de quibus sex Osnaburgum, Cosfeldiam totidem, Susarum octo, Warendorpium denique etiam tantundem petere jubentur.

Proîn Rex primùm cum Regina reliquoq; se famulitio cœnæ accommodat. Inter epulas repentè consurgit Rex, nouáque sibi à patre mandata venisse ait, vt proditorem vnum aliquem militem plectat, cui actutum suis ipse manibus caput demetit; redit ad cœnam, & funestas epulas huma-

humano purpuratus sanguine cõtinuat Post dimittuntur portentosi illi Apostoli, porro cuiuis aureus porrigitur nummus, vt ibi locorum velut perditionis testem relinquerent, vbi doctrina illorũ repudiata esset. Mira hæc sunt, quæ vix posteritas credat, nisi cum ipso sole ad nos eiusmodi insania redijsset. Quid porrò illi Pseudoapostoli? Suis quisq; locis horrendus buccinator pœnitentiam clamat, nisi interitum velint, prætorium quoq; adeunt coram magistratu, pallium humi expandunt, eumq; quem diximus, nummum proijciunt, testantes se à patre pacis nuntiandę causâ legatos, quam si recipere velint, opes suas in commune conferant, sin minus velint, cõtestari se per hunc nummum oblatam ipsis pacem reiectã Adesse.

Adesse jam enim tempus illud à Prophetis prænuntiatũ, quo Deus totum per Orbem coli Iustitiam velit, &, vbi Rex suo functus officio vniuersum per orbem illam propagârit, tum enimuerò Christum patri suo regnum esse traditurum. Sed quid exin deliris eiusmodi rabulis euenit? compedes tulére mercedis loco, vt decebat, & quòd à sua se auelli sententia passi non sunt, capite damnati sunt vno solùm euadente. Interea vrbs Monasterium grauissima obsidione premebatur, adeo vt mures gliresq; in delicijs essent, coriumq; cum pellibus contusum in panem cederet, rege adhuc omnibus cupedijs abundante. Plerisque verò inediâ cadentibus Reginarum vna calamitatem populi miserata, impatientius con-

que-

questa est, hanc miserorum cladem Deo gratam esse neutiquam posse. Jnaudijt hoc fatalis Imperator, illamq; in forum protractã capite minuit, applaudunt huic facinori cantantes concubinæ, cęlestiq; Patri grates persoluunt. Rex ipse in choreas exultat, plebique vt idẽtidem epichoreã sequeretur, persuadet, itaq; quisq; esurienti ventre, vix ossibus hærens saltat, vbi comesse mallet.

Dum hæc inopia vrbem lacerat, ad castra Episcopi foras profugiunt duo, è quibus didicit ille, quo ex loco ciuitatem expugnare posset. Tum verò Episcopus hortari ciues, dederent sese dum miserationi adhuc restaret locus: actum verò fuit, quia Pseudo-Rex nolebat. Quingenti ergo milites locũ ex perfuga docti per fossam

in vallum euadunt, occisisq; excubijs minorem portam patentem inueniunt, vrbem intrant, & ancipiti aliquandiu Marte cum oppidanis congressi, maiorem portam subsequenti militi aperiunt. Tum verò copijs pleno alueo vrbem influentibus atrox fit cædes, Rex ipse cum Cnipperdollingio capitur. Rotmannus ex asse nebulo, huiusq; mali principes inter numerãdus in confertos se hostes desperabũdus injicit, tetroq; confossus vulnere, animam stygi, quam dudum debebat, transmisit. Sic misera vrbs diu cum fame luctans, ne etiam cum siti præliaretur ampliùs multo sanguine tincta, pristino tandem Domino est restituta.

Debebatur verò huic regi ad furcam nato sua adhuc corona.

Sisti-

Sistitur ergo cum ducibus suis Cnipperdollingio ac Crechtingo. affatur Episcopus impium caput Pseudoregem; Et tu, inquit, nefande veterator, quid miserum seducere populum meosq; subditos mihi ita perdere ausus es? adducit supercilium furcifer, &, vt reges loqui solent; Nos, ait, tibi perditum nihil iuimus, sin verò hoc putas, in caueam nos include, totiq; Germaniæ spectaculum offer, nemo erit qui non vt nos conspicere possit, pecuniam offeret, itáq; damnum tibi illatum resarcire valeas. Dignum sartore Consilium! etiam captus iam adhuc dentibus scintillat lupus. vah superbiam!

Sed breui Epilogum hic fastus cecinit. Rex enim cum socijs duobus palo alligatus candenti forci-

pe

pe concerptus, tandem pugione per pectus adacto mortuus caueæ ferreę incluſus altiſſimæ vrbis turri pro epiſtylio, ſocijs duobus altior pependit. vide Surium. Florim. Rem. & alios.

Factum hoc eò fuſius denarrare placuit, vt pateret omnibus quo hominem ſuperbia tandem & hæreſis ruat, vt diſcamus inde ab exemplo hoc vitium auerſari velut Lacedæmonij ſeruos ſuos vino ebrios filiolis propoſuerunt, vt vel ex damnatis hiſce moribus, crapulæ vitium diſcerent deteſtari, ita nos verũ arrogantiæ ectypon dedimus, vt inde quiſq; alieno ſapiat malo, & hoc ſcelus quantis poteſt viribus execrari, & eliminare queat.

V. Remedium inſuper quintũ vt huic peccato gulam frangas, eſt,

est, vt te ipsum rectè noscas, quod perbellè monet Chrysost. Hom. 43. ad populum.

Cogita, inquit, gehennam, cogita multo meliores res, cogita præsentia, ipsam naturam humanam, quàm nihil sit homo &c.

Sic & Augustinus docet vt te puluerem esse scias, & in puluerem rediturum, plusq; tibi quid desit, consideres, quàm adsit. Ita probè amplius nos instruit S. Chrysost. Homil. 39. ad pop. vbi ostendit te nec leone fortiorem, nec pulchriorem pauone; &c. ac tandem concludit

Vide quantum nobis rerum examinatio conferat? omnibus hominibus altiora sapiens, etiam brutis vilior inuentus est.

Et multo post:

Vnde igitur O homo dignus es brutis imperare? Ex ratione, sed non ineſt

su-

superbo, cùm enim eâ non, vt debet, vtatur, etiam illis peior est.

VI. Ex aduerso decorem Modestiæ seu humilitatis considera, de qua S. Hieron. ep. 14. ad Celant. ita effatur.

Nihil habeas humilitate præstantius, nihil amabilius. Hæc est enim præcipua conseruatrix, quasi custos quædam virtutum omnium: nihilq; est, quod ita nos & hominibus gratos, & Deo faciat, quàm si vitâ merito magni, humilitate infimi simus.

Rogat S. Augustin. Modestissimam Deiparam quid obtulerit Deo, quòd in Matrem illius electa sit? & respondet vicem illius.

Oblatio mea, humilitas mea.

Hæc etiam virtus, Chrysostomo teste Ioannem ita euexit, vt dicere audeat Homil. 38. ad pop.

Ioannis manum, quam esse calceamento dixit indignam, hanc super caput suum Christus attraxit.

Sic

Sic & Aug. ep. 56. ad Dioscorum loquitur.

Itâque sicut Rhetor ille nobilissimus (Demosthenes) cùm interrogatus esset, quid ei primum videretur in eloquentiæ præceptis obseruari oportere, pronunciationem dicitur respondisse. cùm quæreretur quid secundo eandem pronunciationẽ: quid tertiò, nihil aliud quàm pronunciationem dixisse. sic si interrogares, & quoties interrogares de præceptis Christianæ religionis, nihil aliud respondere, nisi humilitatem haberet.

Cum Magno olim Antonio Cerberus eiusmodi concertatione vsus est: Et quem tu te jactas Antoni? quid tu me maior es Hercules? jeiunas multùm: at ego cibũ capesso nunquam. Vigilas multũ: ego dormio nunquam. castus es: nulla in me veneris scintilla vn-

quam: in hoc tamen me præcellis, fateor, Humilis es, quod ego neutiquam.

Et profectò virtus hæc omnes diaboli laqueos penetrat vt Antonius de cœlo audijt, cùm totum videret mundum orci retibus circumdatum.

VII. Vtilis etiam ſuperbiæ medicina eſt ſuborientem quamprimùm illius cogitationem in radice extinguere.

Vitium ſuperbiæ, inquit S. Gregor. lib. 24. mor. c. 28. ab ipſa mox radice ſecandum eſt, ne prouectu vigeat, ne vſu roboretur &c.

Sic & Pachomius, niſi ſcintilla in paleas cadens illico extinguatur, incendium repit, ita niſi dum parturis elationē, occidas hanc prolem, illa te mactabit.

VIII. Pulchro inſuper medio ſola-

ſolatur nos S. Baſilius Hom. 22. de humilit. Dum monet, ſi quid laude dignum videamur agere, etiam illud cogitemus, quid mali ſæpius ex aduerſo perpetremus. ſi perperam ab alio agi cernamus, etiã quid ſæpe boni perpetret, conſideremus. Ita Deus ipſe ad Ioſaphat 2. paral. 19. v. 3.

Impio, inquit, præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitia iungeris, & idcirco iram quidem Domini mereberis, ſed bona opera inuenta ſunt in te, eò quòd abſtuleris lucos de terra Iuda.

Ita Deus per Prophetam malefacta perſtrinxit quidem, ſed & bonorum non eſt oblitus.

Vult præterea Baſilius, ne quid nos ipſos verbis palpemus aut laudibus, ſi quid rectè factum ſit, tegamus, idemq; faciamus potiùs

quod Iustus prouerb. 18. & 17. Iustus prior est accusator sui.

Et sanè suarum laudum condũ esse præstat magis, quàm promũ.

Sic bellè venatoris insidias eludit leo, quas dum aduertit, vestigia sua flagello caudæ obterit, ne ex vngue deprendi queat.

Si olim sigillarem annulũ manu abiecisset Conradinus, haberet fortè Sueuia quo de illius sanguine adhuc gaudere posset.

Hæc ipsa sanè, quæ Virtutis sunt, & superbiæ sunt arma.

Ita bellè prudens Elephas agit, qui dentes arbori allidit, vt euadat, & venatori ebur relinquit, vt viuat.

Habemus Ambrosium, Hieronymum, Chrysostomum, Augustinum Gregorium, Martinum, Nicolaum & mille alios, qui ne

honorati perirent, inhonorati viuere maluissent. Lege è diuerso S. Aug in sententijs à B. Prospero collectis, quo illi appetentes gloriæ Tantali jam habeantur loco. Abiêre in puluerem omnes, & de quouis solùm restat dicere: Superbus fuit.

verè ille cecinit:

Cur mundus militat sub vanâ gloriâ
Cuius prosperitas est transitoria &c.

Pulchrè Robertus Holkot in Sap. cap. 7. lect. 91. vanitatem superbiæ doloso comparat equo.

Erat nonnemo Petauristta, inquit, cui equulus fuit ita edoctus, vt quoties magister, Flectamus genua, diceret, illico in genua se prouolueret, si verò Leuate, insonaret,

naret, quamprimùm surgeret. Accidit vt peregrè proficiscens histrio, peregrino hospitis stabulo equum concrederet, quem bene affectum & pinguem videns miles aliquis, strigosam suam & malè habitam substituit bestiam, indéq; subductus, meliori mannulo beatior, aufugit. Rescijt hoc Petaurista, & hominem à tergo insequens deprehendit, quod cùm vidit abigeus, flumen petijt, vt Repetundas etiam insecutori auferret.

Dum ergo medium fluminis superaret miles, clamauit gesticulator: Flectamus genua, cùm equus Magistri voce dudum doctus quamprimum in genua se deuoluens, sessorem excussit, clamauit porrò Leuate: & alacre statim jumentum suo se Domino restitu-

it,

it, relicto in vndis fure, qui cum ire nollet, natare debuit. Non malè clamasset: nos poma natamus. Histrio iste, inquit Holkot, mundus est, Equus est honor, abigeus est ambitiosus homo, qui gloriæ cupidus, vbi vbi potest, honoris Iumentum ascendit, adest continuò mundus, Flectamus genua insonãs, & quod multo labore rapuit superbus, actutum perdit, & qui eques esse gloriabatur, vix habet vt pedes euadat. Ita nouit hodie vrbs nostra Ingolstadium etiam victores diu Reges ex equis deiectos humiliari posse.

Vanitas vanitatum, & omnia vanitas clamauit Salomon Eccles. 1. regno excussus; felix, si in pœnitentiæ lacrymis natauit, vt multis putatur. superbia, equus fallax ad salutem. psal. 32. 17.

VESTIVM LVXVS.

Sed quia potissimum superbia in vestibus, tanquam, è suo nidulo caudam exporgens, gloriatur, de luxu illarum aliquid dicendum est, vt pernicioſas etiam de indumentis tineas excutiamus.

Diogenem olim comptulus quidam adoleſcens conuenerat, vt ſuper aliqua ſibi quæſtione reſponsũ daret, intuitus eſt eum Cynicus, hominisq; veſtium deteſtatus Venerem, non priùs inquit, tuę ſatisfaciã rogatiunculæ, quàm pernouerim maſculusné ſis, an fæmina?

Si ad hoc temporis reſtaret hic Philoſophus, quàm multis iſtud obiectaret? eo prò dolor jam res redijt, vt ex veſtibus nullum ferè amplius diſcrimen ſexus diſcere poſſimus.

I. Lou-

I. Longè jam Diuinum illud præceptum exulat Deut. 22.

Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste femineâ. abominabilis est enim apud Deum, qui facit hæc.

Non sufficit amplius vt in Toga multæ mulieres pudicitiam vendant, nisi etiam in sago hoc faciant? rectè canit Poëta,

Quem præstare potest mulier galeata pudorem,
Quæ fugit à sexu?

Nauarri quidem scitum est in Enchir. cap. 23. num. 22. cũ S. Thoma, iam in noua lege præceptum hoc neminem sub mortifera obligare noxâ, si vir aut femina ex leuitate tantùm, absque scandalo & intentione libidinis vestitum cõmutent, sed crebriùs multo euenire solet, vt Veneri potius in hoc

litetur, quàm leuitati. Equidem Paulus ait 1. Cor. 7.

Qui cum vxore est sollicitus est, quomodo placeat vxori.

Et, quæ nupta est, cogitat quomodo placeat viro &c.

Sed aliter jam dicere Apostolus posset:

Qui cum vxore est sollicitus est, quomodo placeat viro,

Et, quæ nupta est cogitat quomodo placeat vxori.

Sic in vetitum semper nititur mundus, vereq; censeri potest illa iam adesse tempora & nouissimos dies 2. Tim. 3. vbi etiam inter homines prælium erit, quis contra diuinas dimicare leges prępostere valeat magis.

Verè in fundo vbiq; pessimum.

II. Sed, vt vestium leuitatem in promiscuo persequar, multi sunt,

sunt, qui, etiam vt superbiam velent suam, eiusmodi prætextibus se conuestiant. Aiunt suo se statui seruire, & cùm nobilitati sanguinis multum debeant, ita etiam vestitui indulgere. Fateor equidem multa hîc conniuere Theologos, sed quæ illos vexat porrò dementia, dum in nouis semper formis vestispicos & sartores fatigant, nihilq; illis in suum statum sufficit, quod nouum non est, alterq; miretur dies, & quæratur æmulus, quocum certetur vtrum eadem caprina se aliâ ex aliâ lanâ induere possint.

Prætendit vxor, vt marito placeat muliebri se mundo tantùm amplius studere. Sed quî fit, vt cùm domi sunt cum viro, sæpe adeo negligentes, flaccidæ, & fumosæ incedant vt camineutæ potiùs

tiùs quàm Iunones videantur, Megæræ domi, foris Veneres. Sed domestici labores hoc volunt, aiunt: Ita nempe formosa vxor si domi places marito ad fumarium, cur in forum properas adeo venustula? latet anguis in herba bona mulier, perinde agis ac Luna, quæ quo soli propinquior est, hoc splendet minùs, quo magis absens, hoc venustior apparet.

Sed ea mihi causa est vt hoc faciem, inquit alia, quo olim, si maritus fortè fatis concedat, inueniam virum qui me iam non inuenustam, tandem nouo etiam matrimonio beare possit. Ita nempe adultera viuente etiam coniuge, alteri placere in futurum cupis. Malè tecum agitur bona femina, quę adeo intempestiuè studiosa es, vt coniugalis etiam thori riualem inuenias.

Chry-

Chryſoſtomum audi procax mulier.

Quid enim ornaris? dic quaſo: vt viro placeas? igitur domi hoc facias. Hîc verò contrarium fit. Si enim proprio placere vis viro, alijs ne cura vt placeas. Si verò alijs placere vis non potes placere tuo. Homil. 10. in Epiſt. Pauli ad Coloſſ. 4.

Eundem auſculta in Ep. ad Hebr. cap. 12. Homil. 28.

Cùm limen tui thalami fueris ſupergreſſa, confeſtim cuncta illa deponis, & veſtimenta, & auramenta & margaritas, & in adibus potiſſimũ nihil horum geſtas. Si autem viro cupis omnino placere, eſt vnde complaceas, per manſuetudinem, per placiditatem, per pudicitiam &c.

Hæc tamen in illas non dixerim, quæ in mariti gratiã & decus, dum in forum & templa properant pro ſuo ſe ſtatu veſtiunt honeſtiùs, ne in viri dedecus procedant. Sed quid

quid de puellis, & Iuuenculis dicam viduis? Obtendunt sæpe eò sese ornatiores in plateas fundere, vt inueniant aliquando à quo domum ducantur. Misera res cum equus ab Ephippio æstimatus emitur, omnis ille stultus est hîc mercator, qui vestes, non mores attendit. verè verum est quod intus tibi deest, foras præpandis. Prudentior Iuuenis pudicam & virtutibus comptam magis petit, quàm togulis. Fateor equidem, stultos frequenter adolescentes vestimenta potiùs quam vxorem ducere, sed suo hoc vitio faciunt. Ægyptiorum templa olim auro fulgebant, sed quod adorabatur intus, felis erat, seu Crocodilus. Ita stolidi adolescentes dum vxores ducunt, naso ducuntur, & quas Veneres pro Gratijs adorant, Harpyias inueniunt, Sunt

Sunt qui dicant munditer se tantùm, non superbè vestiri; ita vbique vitium est bispellio, vnde peccator vt habeat quo purgatus sit, munditiâ se purgat. Sed falleris ô bone, prudentes non fallis, magnum inter cincinnatulum & mundulũ discrimen est. Nouimus quid sit inter Tanaim, socerumq; Visselli, antiqua vox est scelerum, iactare se & virtute palliolatim tectum incedere. Pulcher veterum est Apologus. Diabolus olim mercatoris formam indutus superbiã se & vilissimo quidem pretio venũ dare proclamabat, nemo erat tamen qui eam emere cuperet, quòd à Verbi Dei præconibus vbiq; ad cathedram tanquam sub incude pulsaretur hoc scelus. Accessit vetula hunc friuolarium, & an sapis, inquit, stulte institor? nõ emitur

tur ſuperbia, niſi munditiem voces, age, & lautitiam honeſtam appella, aderit ſtatim ſector plurimus, qui has merces affatim ambiat. Obſequens fuit veterator, & tantus emptorum confluxus erat, quantum vix forum capere valebat. Age porrò, alij hoc obtendunt eam eſſe temporis rationem, vt nemo in numero ſit, niſi ſe cultu corporis commendet. At ſodes ſi ita eſt, cur adhuc in vili pellicula ſeminudus Hercules valet? Ita omnes Gratiæ in veſtibus quærūtur? nihílne Elias, nihílne Ioannes Baptiſta amplius Chriſtianis in pretio eſt? quia pilis veſtitus eſt? antiqua hæc Iacobi cap. 2. querela ſonat

Si introierit in cõuentum veſtrum vir aureum annulũ habens in veſte candida, introieriſ autem & pauper in ſor-

sordido habitu, & intendatis in eum qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei: Tu sede hîc bene: pauperi autem dicatis: Tu sta illic: aut sede sub scabello pedum meorum: nonne iudicatis apud vosmetipsos, & facti estis Iudices cogitationũ iniquarum?

Fateor hunc mundi stylum esse, sed non Christi. ita stulti passim vt venenum etiam in auro vendi volunt. Sic nunquam tibi, vt mũdò placeas, gratias habe, sed vesti tuæ, quod vir quidam notæ prudentiæ simili facto declarauit. Ad prandiũ vocabatur à dynasta quodam, apparuit conuiua, sed quòd minus lautè esset vestitus, à lanitore vt pannosus aliquis Irus exesse iussus est. Redijt venustiorem indutus pellem, statimque optatus conuiua intromissus mensæ accubuit. Finitis epulis, cùm omnes in

am-

ampliſſimas ſe hoſpiti gratias effunderent, ſplendidam ille Togam ſuam menſæ imponens flexoq; poplite eam adorans: ego inquit tibi veſtis mea grates habeo feſtiuiſſimas, quòd te autore tam lauto ſaturatus conuiuio domum redire valeam: Tu meus hoſpes, tuus ego conuiua fui.

Ita in pretio pretium eſt: (lubet dicere:)

Si fors nõ cenſus, ſaltem dat veſtis honores.

In conſilium olim Iupiter, vt fabula fert, vocare Deos Mercurium iuſſit, primasq; Dîs aureis & argenteis aſſignare ſedes; renuit Mercurius, quòd multi, in ære ligno aut lapide ſculpti artificioſiùs, colerentur, ex aduerſo qui in auro adorabantur, in arte plumbei eſſent. reſpondit Iupiter: oportebat

bat quidem ita fieri, sed tamen aurum anteferendum est. Lucian. in Ioue Tragœdo.

Aliter Christiani & prudentes iudicant, qui etiam Cleantem ad lacernam & lucernam dignoscunt. Sed litteras diuinas audiamus.

(in vestitu ait sapiens Eccli. 2. v. 4. ne glorieris vnquam)

& 1. Tim. 2. 9. Volo mulieres orare in habitu ornato cum verecundia & sobrietate, ornantes se non in tortis crinibus, auro, aut margaritis, vel veste pretiosa.

Insuper D. Petrus. Mulieres subditæ sint viris suis. quarum non sit extrinsecus capillatura, aut circumdatio auri, aut indumenti vestimentorũ cultus, sed qui absconditus est cordis homo, in incorruptibilitate modesti, & quieti spiritus.

Addit Chrysost: Homil. 11. ad Coloss. 4,

Ornata erat aliquando Aegyptia, sed orna-

ornatus erat & Ioseph. Vter erat formosior &c. nudus erat Ioseph sed indutus erat castitatis indumentis. Illa induta erat, sed quauis nudâ turpior erat. Castitatem quippe non habebat. Quando vehementer ornaris O mulier, nudâ quáuis turpior facta es. Erat & Eua nuda, sed cùm induta esset, tunc turpior erat. cùm enim nuda esset, gloriâ Dei ornabatur. Mox verò atque peccati vestem induit, turpis facta est. Et tu quando superbia vestimentum induis, tunc turpior appares &c.

Sumptuosæ vestes crebrò castimoniam suspectam faciunt, vnde non sine causa S. Cyprianus inquit de habitu. Virg.

Fugiant castæ virgines & mulieres pudicæ incestarum cultus, habitus impudicarum, lupanarium insignia, ornamenta meretricum &c.

Et S. Ambros. lib. 1. de Virg.

Neglecta decoris cura plus placet, &

hoc

hoc ipsum quod nos non ornamus, ornatus est.

Vide Basil Homil. 24. de leg. lib. gent & alios patres.

III. Quid? superbus ipse mundꝰ superbiam detestatur. vt ante audiuimꝰ. ita Cassio: in quadam ep. *Omnis, inquit, ferè vitiosus diligit sibi similem. solus superbus odit elatiũ, vnde inter superbos semper sunt iurgia.*

Encomia sæpe mundi ista sunt; cerne mihi superbum graculum, hunc Pyrgopolinicem, quantus sui admirator incedit? vestitus est alienis plumis, induſium debet, & auro tegitur, domi cum cochleâ vix suo sibi succo viuit, patrimonium collo fert, sacculo proximus & omnium ciuium debitor, serico grauatus est, ære alieno premitur, vt grauior sit. Hos & eiusmodi colores offerunt ipsi hi Thrasones

qui-

quib⁹ ab alijs egregiè depingi possint, nil aliud agentes quàm vt detractionis materiam hominum linguis suppeditent.

Ita profectò ipsi quoq; olim pagani hoc vitium detestati sunt. Memorat Macrobius l. 2. c. 5. Saturn. Octauianum Augustum leuidensi tunicâ indutum, pretiosas vestes à sua exulare aulâ voluisse, hancq; licentiam cultus in Iulia filia sua mirum in modum nauseasse.

Lacedæmonij vestiũ flores meretricibus tantùm cõcedebant, vt, quibus jam pudicitia emarcuit, haberent saltem quo in scelere virerent.

IV. Multa quoque alia hic luxus suo sibi nido damna importat: admirandum te putas si cum Phœbo fulgeas, & Lunam te omnes dicant, qui non nisi alienis radijs si

non

non furtiuis quoq; scintillis. Imò etiam poëta in te canit

Femina culta nimis, femina casta minus
Culta puella nimis, casta puella minus.

Nempe Cyprian⁹ præcinebat meliùs de habit. Virg.

Vestium insignia & lenocinia, nonnisi prostitutis, & impudicis feminis conueniunt.

Vin' insuper vt sit tibi curta supellex? vestium luxui stude, superbæ vestes frigidam culinam faciunt, & quod collo appenditut pectore, intus esuritur ventre, inflammantur pretia vestium vt minus quod comesse possis, habeas.

O miser superbe qui velut nocte natus de luto fungus tuũ caudicem stũpes, & teres caput.

An nescis quod Chrysostomus monet dedecori magis esse vesti-

men-

menta nobis quàm ornatui, quæ primâ ab Adami lapsu in pellibus origine consuta sunt? Gen. 3.

Vestium amictus, ait, Homil. 18. cap. 3. Gen continuum nobis sit monumentum, quo memores simus, quantis bonis exciderimus.

Pulchra sanè gloria furem fune purpureo gloriari.

Vocatur Rahab meretrix, etiamsi coccineum funiculum præ fenestris appenderit Iosue 2.

Non minus Zara ex adultera natus est, licet coccino manum ornatus ex vtero matris in theatrũ orbis prodierit Gen. 38. quid nos multum in serico iactamus, cùm ipsi vermiculi à vermibus consumendi sumus? saccus tritici triobolari fune stringitur pretiosum hominis alimentum, & nos qui numerus sumus, & fruges consu-

mere

mere nati, sacci pulueris & stercoris, vti S. Bernardi frater Andreas suam sororem comptulam, inuolutum stercus appellauit, Surio teste, catenis aureis, viua sæpe cadauera, corpus, aliquando (vt multis fit) apud Inferos arsurum, coronamus. Sed præstat motos componere fluctus. Clamant quotidie concionatorum pulpita, pauci se emendant, & quia pauci se corrigunt, plurimi damnantur, ac etiam sæpius ab Orchestrâ increpiti, non emendati, ad Orcum descendunt, perpoliant se illic Acherontis pabula, satis habebũt temporis, quo se comant, verius diceret Comicus ibi: Dum poliuntur, dum comuntur annus est. Eheu æternus; audient à sponso tandem Matth. 25. Nescio vos: & clausa est janua, vbi

Non exorato ſtant Adamante viæ.

V. Prodire poſſent in hac Tragœdiâ plures, qui iam vmbræ, ſuis in veſtibus, vt minimus etiam capillus vmbram habet ſuam, ita pœnas ſuperbiæ inuenerunt. Lege S.m Hieronymum Epiſt. 7. ad Lætam de prætextatâ quondam nobili femina quàm miſerando exitu Comœdia illius in Tragœdiam verſa ſit.

Atque ſanè, licet, quod tamen frequenter fit, vt vterque ſexus per hunc luxum in retia Veneris trahat, contingere poteſt, vt poſthabito etiam hoc intento, ſe quis adeo in amorem veſtium immergat, quo relicta qnoque animę ſalute totus in eiuſmodi cultu abſorbeatur. Exemplo nobis ſit virgo illa Spoleti, ſi tamen virgo, apud

apud Robertum de Licio in quadrag. fuit illa nimium quantum cultui corporis addicta, accidit verò vt lethali pulsata febri extremum decumberet, cùm ergo actũ de vita pronuntiarent medici, monetur illa, rogatur, vt saluti animæ suæ consulat, surdæ preces cantatæ. Iubet afferri sibi pretiosam vestium suppellectilem, induit se, quasi Paridi nuptura, & ah, inquit, ita ne ego Vernus ætatis meæ flosculus ad sepulchrum abitura has deliciarum & juuentutis rosas relinquere debeo? Age Acheron age, veni sponse diabole, ac me tuam modò Amasiam ad Phlegethonta rape; hæc fuere illius Proserpinæ suprema suspiria, quæ vestium delicijs nimium rapta, nunquam Inferis eripietur.

Sanè dico, perpauci æstimant

quid in hoc scelere veneni lateat, & si nihil aliud esset, hoc foret, quod S. Gregor. monet Homil. vlt. in Euang.

Res ipsa testatur, inquit, quòd pro solâ inani gloriâ vestimentum pretiosius quæratur. Nemo vult ibi pretiosis vestibus indui, vbi ab alijs non possit videri.

Amplius pergit Gregorius Homil. 40.

Sunt, ait, nonnulli, qui cultum subtilium, pretiosarúmque vestium non putant esse peccatum. quod si videlicet culpa non esset, nequaquam sermo DEI tam vigilanter exprimeret, quòd diues, qui torquebatur apud Inferos Luc 16. Bysso & purpurâ indutus fuisset. Nemo quippe vestimenta pretiosa nisi ad inanem gloriam quærit videlicet vt honorabilior ceteris esse videatur.

Minus tamen quod vereri hac in parte possint habēt personæ principes,

cipes, quorum ſtatui aliquid concedendum eſt, ſi præſertim cum Regina Eſther cap. 14. v. 16. habeant veſtes pro onere magis quã cultu, de qua re S. effatur Hieron. Epiſt. 8. ad Demet.

Aeſtuabat Chriſti tyruncula (Demetrias) oderat ornatum ſuum, & cum Eſther loquebatur ad Dominum; Tu noſti, quòd oderim inſigne capitis mei, hoc eſt diadema, quo ſtebatur, quaſi regina, & tanta ducam immunditia, velut pannum menſtruatæ.

Similem in modum loquitur S. Aug. de Eſther Epiſt. 199. ad Ediciam.

VI. Enimuerò ex dictis perſpicuum eſt, quemadmodum præpotens Deus olim comptulum Herodem ab aſpero in veſtibus Baptiſta ſit ſelectur⁹. Velut Matth. 13. dictum nouimus.

Simile est regnum cœlorum sagenæ missæ in mare & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, educentes, & secus littus sedentes elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi: exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Iustorum, & mittent eos in caminum ignis, ibi erit fletus, & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia?

Intellexistis comptuli, intellexistis cincinnatuli & cincinnatulæ? sapite, ne serò sapiant Phryges!

Qui sunt illi reprobi pisciculi O striati mortales, quàm vos tenellulæ veneres rosam vbique calcantes? An nescitis Leuit. 11. v. 12. pisces illos à Deo reiectos esse vt immundos, qui non habent pinnulas & squamas? eiusmodi vos estis delicatulæ & molliculæ anguillæ, genimina viperarum, serica

rica Inferorum pabula, & vestium adoratrices, Cacodęmonum mancipia, quæ antequam ad Inferos abeatis ab Orco obsessę estis. Narrat Cælius Rhodiginus vidisse se totâ Italiâ teste mulierem, è quâ stygis cuculus testabatur se Cinciñatulum vocitari, bello nomine; satius esset portare pedes cum venia in crinibus quàm talẽ vt multi circumferunr Cincinnatulum. Quid inquam superba capita, & adhuc Christiani esse vultis? Non estis. Audite Tiburtium loquentem. Erat quondam, vt in vita S. Sebastiani perleges, Torquatus quidam nomine (Infelix Manlius) homo ad amussim elegãs, desquamatus, & perpolitus. Stitit se is pro Christiano apud judicem, vt Martyrij coronâ etiam expolireтur. Vidit hunc Tiburtius homo

Christiano nomine dignus, & quid, inquit, judex huncce ne Torquatum adeo tersum & venustulum pro Christiano habes? Erras longè erras ò prætor! Dominus noster Iesus Christus eiusmodi Iunones & Cupidines sui sanguinis testes esse repudiat, pudor esset (dicere voluit) & propudium tales Christum habere Martyres Torquatos, qui spinis non rosis coronatum caput pro nobis in cruce gestauit.

Dabis veniam lector, caput vitiorum superbiam, nunquam satis exagitandum à ceruice diutius resecare adgressi sumus, reliqua citius scelera expedituri in hoc libello, quod volumen integrum requireret. Obsequamur tandem monēti mellifluo Bernardo Epist. 87. ad Oger.

Humi-

Humiliemur, donec veniat, qui potentes deponit, & exaltat humiles, qui nos lætificet, & glorificet, in æternum exaltet.

Macte animo Christiane, prosterne, dele hunc Gergezæum, erit vt illam speres mercedem, qua inter cælites velut columna consistas. Apoc. 3.

Qui vicerit sic vestietur vestimentis albis, & non delebo nomen eius de libro vitæ. Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.

Et quoniam precibus exorandus est Deus, vt ad hunc Goliath sternendum in nomine Dei cum Dauide accedas, ita precare cum Iacobo Aluarez de Paz Soc. Iesu.

POSTVLATIO HVMILITATIS.

Domine IESV Christe, qui filius DEI existens, caro pro nobis factus es & teipsum vermem, & non hominem.

opprobrium hominum, & abiectionem plebis appellasti, ac ad humilitatis exemplum inter duos latrones mortem subire voluisti: da nobis, rogamus supplices, veriſſimam tuæ maieſtatis, ac noſtræ vilitatis cognitionem, & vt nos ex corde vili pendamus, ac contemptui haberi concupiſcamus, benignè concede, qno humiles & tui ſimiles facti, ad conſortium humilium, qui in cælis gloriſſimè regnant, euolemus. Amen.

AVARVS CHANANAEVS.

I. CHananæus poſſeſſorem vel negotiatorem ſonat Romanâ linguâ, quo ex nomine cupidi lucriones intelliguntur. Eſt verò Auaritia S Thomæ 22. q. 118. Amor immoderatus habendi, quale verò delictum hoc ſit, Tolcti verba audiamus, vbi

vbi mortifero se quis scelere ex hoc commaculare possit.

Ad cognoscendum, inquit, quale hoc peccatum sit, oportet considerare, & distinguere, quando cõtra justitiam, & quando contra liberalitatem est. Cùm enim est contra justitiam, ex genere suo est mortale peccatum, & de facto est mortale, nisi ob leuitatem materiæ, vel ob defectum deliberationis fiat veniale. vnde, qui ex auaritia, & pecuniæ affectu retinet alienum, nolens restituere, aut accipit alienum viâ aliquâ injustâ, mortaliter peccat. Quando verò est contra liberalitatem, tunc ex se veniale peccatum est, quamuis fiat mortale cum opponitur præcepto charitatis: v. g. retinere multùm pecunias proprias, nolendo dare, & succurrere alteri, &

habendo immoderatum appetitū earum, veniale est: si tamen homo ex tali affectu non succurrat indigenti posito in extremâ aut graui necessitate, cùm obligatur præcepto charitatis, mortaliter peccat. Similiter, cùm est paratus negligere, seu transgredi diuinum præceptum potius, quàm separare affectum à pecuniâ, peccat etiam mortaliter, vt, qui paratus est, si possit, furari, aut vsuram dare, aut negare indigenti extremè, aut quid simile. Ita Tolet. cap. 35. de peccat mort.

Vt ergo in compendio noscamus, quando quis lethali se hîc noxæ inuoluat, his ferè modis accidere potest.

1. Si quis pecunias & similia ambiat, seu fas sit, seu nefas, aut retineat talia, suáue sint, an alterius.

2. Cùm

2. Cùm quis eò agitur, vt ſpem omnem, ac finem ſuum in eiuſmodi rebus figat, neutiquam curans, an cum offenſa Numinis fiat.

3. Dum hoc contingit negle-ctu præceptorum Dei, aut Eccle-ſiæ.

4. Si dubius hæres non ſine ra-tione, ad te ne bona ſpectent, vel ad alterum, nihilominus tamen picceis manibus inter vngues pre-hendis. Hæc ſummatim cum The-ologis.

Hoc ſanè diuinis litteris exo-ſiſſimum ſcelus eſt.

Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem. Radix enim omniũ malorum eſt cupiditas 1. *Tim.* 6. 9.

Nec malè Paulus ad Epheſ. 5. v. 5. hanc inſaniam Idolorum ſeruitu-

tem

tem appellat, cùm eiusmodi Euclio pecunijs tanquam Deo litat, à quo omnia sperare possit. Hunc ergo Chananæum; vt deleamus, eiusmodi armis illum infestare necesse est.

II. Perpende inprimis quantum olim pagani quoque ipsi hoc crimen auersati siut. Bion scelerum omnium scelus appellat. Nullum est vitium tetrius auaritiâ, ait Cicero 2. offic. pluribus Seneca in illud debacchatur. Expende porro quibus etiam titulis etiamnum hæc vesania ab hominibus afficiatur.

Auarus Salomonis asinus indigetatur. Misera aselli conditio est, malè comedens multum laborare debet & verbera comesse, si verò morte occumbat, pellis pro tympano seruit, & Musicorum liber

fit,

fit, in quo choreas ac carmina componant, & de corio illius ludit Musica, in quod olim sæpe Agasonis verbera saltarunt. Perinde auarus dum viuit arctè se habet, sudat multùm, & malè cœnat, vt hæredes habeant, quo ex illius comparsis lætari ridere & canere possint, dum ille lacrimat in Inferis. Passim de auaro dicitur: cælum auarus in cœno quærit, tam deest illi quod habet, quàm quod non habet, villosam cum vulpe potius caudam trahit, quàm simię pilum donet; sua sibi nouerca est; quid juuat illum referta pecunijs cista, cuius claues penes diabolũ sunt? Vinum cum asino portat, & aquam bibit, aurum vehit, & cum asino carduos comedit: Omnium sanè amicus est, Tuum æquè amat, ac suum; aliorum dentibus dolet.

Satu-

Saturari non potest, cum Midâ esurit, cum Tantalo sitit. Vbi magis vnquam poësis, quàm in hoc vitium fertilis fuit, quod in omni Theatro percantauit? apud Plautum Strobilus Euclionem quàm acerbè ridet?

Pumex non aquè est aridus, atq; hic est senex.

Aquam hercle plorat, cùm lauat, profundere.

Quin ipsi pridem tonsor ungues dempserat:

Collegit, & omnia abstulit præsegmina.

Plura, ne in alienam messem inuolem, Comicorũ falci relinquo. Diuina potiùs volumina & Patres audiamus.

AVARO NIHIL EST sceleſtius.

III. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim & animam suam venalem habet.* Eccles. 10.

Væ vobis diuitibus, qui habetis hîc consolationem vestram. Luc. 6. v. 24. Facilius est camelum per foramen acus intrare, quàm diuitem in regnum cælorum. Matth. 19. v. 24.

Consideremus quàm acriter SS. Patres Auarum verberent.

Canis latrat, ait Basilius Homil. 2. Auarus putat furem esse. Mus fortè perstrepit, vt auari cor salit, quemlibet vel puerum suspectum habens? Filios iam grandes vt insidiatores inspicit, quòd eorum iam ætas successionem expetere videtur, &c. inuit Chrysostomus Orat. 7. *Quid manibus auari sceleratius? quid oculis impudentius, & caninum magis? non aspicit homines, vt homines, neq; cælum, vt cælum, sed omnia pecuniam esse putat.*

Consentit Augustinus cum ait lib. 11. de ciuit. c. 25.

Peruersi & auari frui volunt nummo, vti autem Deo, quoniam non num-

nummum propter Deum impendunt, sed Deum propter nummum colunt, &c. Itaq; in pecuniâ conquiescunt, ac si nulla Dei curâ, & prouidentiâ agere deberent vnquam.

Et serm. 196. de Temp.

Non solùm auarus est, qui rapit aliena, sed etiam ille auarus est, qui cupidè seruat sua: quomodo iudicaturus est te, cùm non solùm seruas tua, sed etiam quaris aliena?

In rem præsentem loquitur Hieronymus.

Omnia in homine vitia senescunt, sola verò juuenescit auaritia.

Nec Deum sanè nec hominem reueretur auarus. Accidit his bellis in Bauaria Inferiori, vt sacerdos equo vectus iter faceret, incidit in milites qui otyus vt equo vale diceret, jusserunt: rogauit ille: parcerent sacerdotio, parcerent Deo;

Deo; surdo loqueris, ait vnus, si Deipara cum Infantulo Iesu hoc Iumento in Ægyptum veheretur, non parceremus; descende, & in pedes te dato, nos equites manebimus. En blasphemum os, quo illum non rapuit hoc scelus!

Sed quid frustra se fatigat cupidus, cum sanguisuga vbique: affer, affer exclamans, exspuenda sunt omnia cum cane tandem gramine saturato. Molendini rota est auarus, quæ diu fatigata labascens tandem foco seruit; quæ isthæc stultitia est pecunias acquirere, & cælos perdere.

IV. Reuoca in memoriam quot olim sæpe Auri sacra fames mortalium pectora coegerit, & vel etiã hodie rapiat.

Audi Tragœdiam omni seculo plorandam, quam Ioannes Ludo-

uicus

uicus Gottfrid commemorat in Chronica Francofurti edita contigisse Lipsiæ, alij in Polonia euenisse aiunt; euenit sanè, seu bis illa, seu vbi vbi contigerit.

Caupo erat, cui filius nondum bello maturus, Martis tamen amans ad castra euolauit; stipendia fecit multa, tandemque inter arma masculescens, Patriam & parentes reuisere cogitabat. Non longè aberat à Patriâ, cum in sororem incidit, ex qua multa de sua familia percontatus, fratrem se tandem illius esse pandit. Festa hîc lætitia! jubet verò germanam, ist hoc rei tamquam Iunonis sacra, clam habere, ne quid famæ ad parentes in vrbem penetraret, sequeretur potius altero die, quo se amissum tamdiu Ganymedem parentibus cum maiori voluptate ostentaret.

Attin-

Attingit interea parentis hospitis ædes. & acceptus diuersorio diem totum ibi ignotus versatur. à cœna satur ad cauponem conuersus; has, inquit, pecunias (trecenti erant daleri) per noctem tibi seruandas rogo, nisi molestus sum. Accipit cõditionem hospes, spondet omnia salua, miles interim lecto concedit. rapit pecunia cupidum hospitem, & hanc strophamcum vxore commentus conuenit, vt si miles altùm sopitus esset, in cubile ruerent, ac suffocata laqueo gulâ, manè repertum in lecto hominem repentina morte præuentum declamarent, fore sic, vt & pecuniæ compotes essent, & sub rosâ lateret fusus sanguis.

Adest altera die ex promisso sõror, quæ ad Hilaria properans, miserãdam catastrophen inuenit,

rogat

rogat parentes, an nemo hospitũ pernoctarit ? equidem aiunt illi, sed proh dolor ficca morte occuparus in lecto repertus est. Ah, inquit, filia, sinite vt funus intueat ! accedit funus. Tum enimuero illa lugere, plangere, eiulare ac vociferari: Eheu pater ! Eheu mater ! frater hic meus est, & filius vester, simulque inter singultus & lacrimas frangens verba rem totam denarrat; quo nimirum pacto hac die festa cum hilaritate se parentibus sistere cogitarit. Tum mater capillos rumpere, seseque cultro confestim exanimare, pater se strangulare laqueo, soror in puteum se præcipitare. Sicque quadrino funere totius Tragœdiæ Epilogum Auaritia absoluit.

Cernis hoc carcinoma scelerũ pecuniæ cupiditatem ? Quàm ve-

rè

rè Augustinus effatur serm. 25. de verb. Domini.

Inexplebilis est Auaritia. Nec Deum timet, nec hominem reuereretur: non patri parcit, non matrem agnoscit, nec fratri obtemperat, nec amico fidem seruat: viduam opprimit, pupilli rem inuadit, liberos in seruitũ reuocat, &c. Res mortuis occupantur: quasi non & ipsi, qui hoc faciunt, moriantur? Quæ est ergo ista animarum insania, amittere vitam, appetere mortem, acquirere aurum, & perdere cælum?

En tibi, quàm bellè in hoc facto Augustini oraculum verè verum reperitur. Quid aliud cruces, patibula, rotæ clamitant, quæ sontibus debentur, quàm Auaritia, Auaritia hæc miseranda mihi Trophæa erexit?

V. Taceo Ananiam & Sapphirã. Act. 5. Sileo innumera sacri voluminis

manis exempla. Attendite fœneratores & daniſtæ, qui paſſim tantis ſæpe vſuris loculos veſtros cum aliorum damno infercitis, & ne fures habeamini ex Interuſurio diuites, adhuc juſtiſſimi eſſe Catones vultis. Turget conſcientia veſtra furtiuo ære, & ſi res ad ſacrum Confeſſionis tribunal redit, muti eſtis vt piſces, alienis interim ſquamis onuſti, ne vſuras fateamini conſcientiæ veſtræ judices circumuenitis, vt profundius in phlegethonte natetis. Tacentes quidem è templo exitis, cùm interea cor veſtrum murmurat, à noxis vos abſolutos putatis, ſed nocentiores, ac ſacrilegi domum reditis. Erit vltor à tergo Deus, qui diu, quod differt, non condonat, ſæpe eodem loco vbi luſerunt Nauigia, ſorbentur. Confeſſionis Tribunal

tibi

tibi ludus fuit, vbi non Deo, sed tibimet illusisse te serò senties.

Lorinus Societatis nostræ Theologus rem gestam aliquando ita commemorat. Erat in Italia homo sanguine nobilis quidem, sed fenori & vsuris addictus, clarum genus vbertim sordido hoc vitio nimium quantum attaminabat. Accidit quidem ad sacerdotum pedes interdum, sed quia nemo illum, quòd vsuras damnare nollet, liberum à noxis pronunciare vellet, in vnum aliquem nomine tenus Religiosum incidit, qui ad votum semper illum absoluere non dubitabat, cùm diceret; sacerdotes, aliosque religiosos nimis in conscientia trepidos, animi frustra discruciari, bonumq; virum semper pendentem è tribunali sacro non exsolutum, dimittere. Qua-

propter fœneratori charus frequenter mensæ etiam ab eo adhibitus est.

Sed tales eiusmodi reos absoluere, seipsum cum sonte damnare est. Fors hic Religiosus post lautiorem cum homine cœnatus cœnulam noctu domum redijt, cùm interea vir ille repentina prehensus morte extinguitur; dum animum tamen adhuc ageret statim famuli duo (cacodæmones erant) ad fores Monasterij pulsant: iret sacerdos, properaret, & supremum heri spiritum bene precatus, ad cœlum comitaretur. Adest ille in tempore, ac dum ad domum morituri contendit, videt nobilem cœnatoriâ indutum veste ad Lunam inambulare, indignatur famulis Religiosus, quòd se in forum è lectulo protractum, naso duce-

rent,

rent. At verò ad illum continuò defuncti hominis ſpiritus: ſcito inquit me vitâ functum ad æterna Orci ſupplicia damnatum, quòd rem fenebrem damnare nolens, diuina quoque Sacramenta ſacrilego vſu conſpurcarim. & quia tu Vah infauſte ſacerdos quoque hanc in rem mihi non dehortator, ſed auxiliarius fuiſti, juſto Dei judicio pœnarum te comitem eſſe oportet, qui ſcelerum fuiſti. Vix edixerat, cùm alter Nobilem, cacodæmonum alter coenobitam correptum, ad Tartara, æterna Inferorum pabula ſubducunt. Stabat Confeſſarij ſocius pauitans animo vix pedibus conſtans, ſed reſumptâ tandem mente domum reuerſus, ſuperiori ſuo miſerandū, quod viderat ſpectaculum, denarrauit Factum hoc etiam pro

Concione quidam Magnus Orator coram Alberto Austriæ Duce à Ioanne Lorino auditum, (qui & locum & homines eos nouerat) cum ingenti multorum animorũ motu, referre non dubitauit.

Age iterum, clama perfide, & peruicax peccator, Confessarios, vt vocamus, nimis anxios, nimis meticulosos esse, neq; tam atram stygem, quàm Religiosuli præcones inumbrent, reperiri. Cernis quo sua se hominem cupiditas, & pertinacia trahat? Resipisce ergo, & alieno sape tandem malo. Ne tute aliquandõ, quod in altero vidisti, simile Exemplum factus, subscribas.

VI. Salutiferum ergo medium est probum conscientiæ tuæ arbitrum seligere, cui omnes exanimo noxas sincerè pandas, ijs præsertim

tim in rebus, quibus animo dubius pendes, an vsuram non redoleant. Huius consilio obsequentem te præbe, nisi vsuræ oneratus gibbo in cameli modum factus ad Inferos Dromas pernici teipsum cursu in æternas flammas ipse deuoluas.

Age insuper, & pecuniæ cupidinem rue recordare te diuitiarum non dominum esse, sed Dispensatorem tantummodo Dei vicem constitutum, qui eò te locupletem voluit, vt pauperes ditare possis. Recordare monentis Chrysostomi in cat:

Erronea, inquit, opinio est possidere à nobis, & Dominis, res huius vitæ, & vt bona propria. Summus enim velut hospites, & aduenæ, quibus nunc discedendum est, & dispensatores aliorum, &c. Nihil enim est nostrum, sed omnia sunt datoris Dei.

Et S. Aug. lib. 50. homil. homil. 47.

Plus tibi dedi, ait Deus, vt haberes vnde pauperi dares. pauperi non dedi ob hoc, vt te probarem, non quia ambobus non habui vnde darem, sed per pauperem volui te probare.

Domini est terra, & plenitudo ei9 psal. 23.

Eleemosynæ operam da, & largam egenis manum præbe, vt tibi aliquando felicem dexteram ad cælos porrigant. Fac tibi amicos de Mammonâ iniquitatis Luc. 16. Lucrum est, quidquid per Eleemosynam perdis. Veriùs illud Martialis verum hîc est.

Extra Fortunam est, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, solas semper habebis opes.

Æmulare Paulum Æmilium Romanum consulem, qui cùm exercitum angusto itinere terrâ ducc-

duceret, vt refert. Jul. Sext. lib. 1. Strat. c. 4.

Tarentinj verò hostes aquâ ipsum comitarentur, & telis perpetim infesti in Romanos grassarentur; captiuos Tarentinos propter littus cum milite suo ambulare jussit, ita vt hostis, si suis parcere vellet, Romanos incessere, abstineret, ita tu pauperum turmis præcinctus ab hoc mundi Oceano ad cælos ambula, sic vt iratus tibi Deus in pauperum suorũ gratiam parcat, tibiq́ue propitius faustum iter ad sidera indulgeat.

Sequere insuper Paulum hortantem 1. Cor. 7. vt inter illos numerere.

Qui emunt, tanquam non possidentes. & qui vtuntur hoc mundo, tanquã non vtantur.

Dauidem æmulare, ac Abrahamũ,

qui cùm omni rerum opulẽtiâ affluerent, animum tamen non affixum illis habuere.

Fac quod Augustinus monet, Tract. 40. in Ioann. Vtere nummo vt viator mensa, vrceo, dimissurus, non permansurus.

Si vis esse cæli accola, ne te perennem esse terræ incolam puta.

Si opes beatum facerent, epulo dives non arderet in Inferis.

Admoue quapropter manum capulo mi Christiane & Chananæum his remedijs sterne, erit illa merces tua, quam Agonotheta Deus Apoc. 21. promisit:

Qui vicerit, possidebit hæc, (nimirum cælestia) & ero illi Deus, & ille erit mihi filius.

Oratio.

DOmine IESV Christe, omnium Domine, cuius est terra, & plenitudo

rudo eius, qui pro nobis tam miriſicam paupertatem ſectatus es, vt diceres, & verè diceres.

Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet:

Tolle à nobis per ſummam bonitatem tuam, diuitiarum, rerumq; terrenarum amorem nimium: fac etiam non neceſſaria ſine ſollicitudine quærere, & quæ abundantia nobis ſunt, pauperibus fideliter erogare, vt hîc ſaltem animo pauperes, in cælis aliquando diuites, te omnium bonorum theſaurum in æternum aſpiciamus. Amen.

SALAX PHERÆSAEVS.

SVbdubito an hoc sceleris pudio chartam deuirginare, quasi audeam, cum Paulus doceat ad Ephes. 5. 3.

Fornicatio, & omnis Immũditia, &c. nec nominetur in vobis.

Sed quia noui Apostolum illud velle, non vt carpatur hoc crimen, sed ne flagitiosè, vt fieri solet, etiam in Christiana linguâ dominetur, hãc ob rem calamum stringam in Venerem, cuius Cupido tot Eheu homines turpi vulnere in terram affligit!

Phereſæus dicitur Terram disseminans, quo Lasciuiam intelligimus, dum multi naturâ abutentes non in eum, quo statuit vsum, & modũ se effundere consuescunt.

Luxuria S. Thomę 22. q. 153. Est.

Appeti-

Appetitus inordinatus Venereorum.

Deficeret charta eiusmodi bestiam satis delineare, sed ego illam succinctius ad hosce gradus cum Theologis reuocabo.

I. Præceptum sextum est: non Mæchaberis. Exodi 20. quo in genere quatuor examinanda sunt, primùm. Quid sit fornicatio, alterum, quot eius species; pòst quale peccatum sit. Tandem, quæ hoc præcepto prohibeantur.

Inprimis dicitur fornicatio, cũ res cum meretricibus habetur; fornicatio enim à fornice dicitur, vbi lupæ olim se prostituebant. Latius patet huius vocabuli vis apud Theologos & Juristas, quando omnem venereũ actum illicitum complectitur, quo etiam extenditur verbum Moechari, quod propriè, vt Toletus ait lib. 5. cap.

10. Instruct. sacerd. Adulterari significat.

Simplex ergo fornicatio est soluti cum solutâ, quæ virginitatem amisit. Solutus homo, seu persona est, qui nec coniugatus, nec clericus, nec religiosus, nec voto castimoniæ obstrictus est. Esse autem delictum hoc mortiferum adeo certum est, vt opposita assertio sit hæreticum dicere, vt definitum est in Clem. ad nostrum de hæret. & ad Ephes. 5. Omnis fornicatio non habet hęreditarem in regno Christi.

Neque excusatur vllus ignorantiâ, vt sententia communior est, & verior. Ratio autem cur transgressio lethalis sit illa, est, quia est contra finem, ob quem Deus concubitum humanum permisit, qui non solùm est augmentum

tum filiorum, sed educatio etiam, quæ emergere inde non potest, cũ determinatus hîc pater non adsit, quod ex matrimonio contingit.

Stuprum est Virginis defloratio, quod grauius est simplici fornicatione, quia, & puellam deuirginat, & illam vlterius in periculum conijcit sæpius ita delinquendi, vti ostendit experientia.

Porrò est adulterium, quò coniugalis thorus vitiatur. de qua re multa Theologi.

Succedit Incestus, qui est copula cum consanguineo. Talem 1. Cor. 5. Paulus tradidit sathanæ.

Raptus, est violenta feminæ abductio.

Sacrilegium est cùm copula fit cum personâ Deo dicata per votum castitatis, aut Religionis.

Tandem est vitium contra naturam,

turam. cuius quatuor sunt species: Mollities. Inordinatus concubitus. Sodomia; Bestialitas. Nolo hoc monstrum depingere, horret calamus pergere, etiam atramentum quãtumuis nigrum huic pingendo sceleri succum negat. Norunt Confessàrij, sciunt Theologi feram hanc describere, apud quos abunde habes quod legas, si tui tamen est officij hoc audere.

De mollitie aut pollutione, tã frequenti crimine solùm moneo quàm detestanda Deo noxa sit. Exemplo sit Her & Onan. Genes. 38. à Deo occisi. Attendant hîc molles, & coniuges insuper in coniugij actu se retrahentes. Si enim seculo tam rudi Deus ita puniuit, quî Christianos in tam perfecta lege multabit?

Vidit S. Christina mundum pollu-

pollutionibus inundantem, inde, vt Numinis vindictam auerteret, tantis se, vt scimus supplicijs aliorum vicem excruciauit.

Illud adhuc moneo cum Theologis, vix vllum esse crimen, vbi ferè citius, & deinceps grauius quoad prædictos gradus homo possit delinquere, cogitatione, verbo, & opere quàm in isto hoc cœno. nisi subinde plenus nondũ consensus aliquid excuset, vt suboriens etiam huius noxæ cogitatio citius extinguatur. Inde quomodo ad sacra Confessionis subsellia ritè peccatum hoc cum circumstantijs enomendum sit, plures nos libelli passim docent, qui manibus teruntur, ad quos te remitto Enucleatè hoc etiam docet Paulus Wan Theologus, & Ecclesiastes celeberrimus, Dominicâ Lætare

pro

pro suggestu locutus, Cuius verba longum hîc esset mihi denarrare.

II. Quapropter Pheresæum hunc vt sternamus ista maximè consideranda obueniunt.

Reuoca in memoriam quot etiam hodie dicterijs meritò capitalis hæc macula impetatur, vt sordeat etiam illi, qui sæpe talis ipse est nequam Paris, cuius adulterio cecidit Ilium.

Si meretrix cor tuum occupat, etiam loculos occupat tuos: quid tanti emis pœnitere? lupæ corpus, diabolo animam donas, quæ cum carbone si non vrit, saltem denigrat & mentem & famam. Nullus porco delicatior lectus est stercore, sed proh dolor, cùm iam concubinæ, ac damæ nomen inualuit, nulla amplius est meretrix, imò, nisi ad cunas venter properet, omnes

mnes volunt esse virgines, adeò facinus hoc increbuit, vt, dum tectum sit, castimonia habeatur; omnis illa satis pudica est, dum clã tantùm est impudica, fornices & lupanaria olim fuêre domus, nunc sunt vrbes integræ, si omnibus publicè venalis esset pudor, quot præ foribus penderent hederæ? Omnis sic amans, est amens. Luxuria pestis blanda est, ait Seneca Trag. Longè ab homine est libido inquit Cicero 2. offic.

Etiam Poëta in hoc piaculum disertus est, qui multus tamen hoc probrum frequenter docuit, tamen adit.

Sulphur fœtens terræ vena est, vnde magnus sæpe rogus exsurgit. sic, quid libido aliud est, quàm salax corporis venula, quam nisi in tempore compescat ratio, to-

tum

tum hominem inflammat, cernimus quantum vbique hæc flamma grassata sit, & adhuc dominetur. Pentapolim olim exussit, Sichem interemit, filios Iudæ mactauit; Tribum Beniamin deleuit; Vriam occidit, Ammonem gladio hausit, Ruben maledixit, Samsonem eneruauit: Salomonem ferè cælo inuidit, plurimos ad Tartara deturbauit, tam multi ex hoc vitio ardent hodie in styge quasi in solius Veneris gratiam esset ædificata. Nec mirum est tot illic ardere animas, cùm tot animis hæc lues dominetur.

Apologus est, Cerbero plures fuisse filias, quas cùm locare vellet, Magnis dominis superbiam tradidisse, Auaritiam mercatoribus, Opificibus Inuidiam, Irammilitibus, Xenodochiorum colonis,

nis, ac mendicis Acediam nuptum dediſſe, laſciuiam verò omnibus communem, gulâ comitatam, vbique vagari permiſiſſe. Mirum ſanè etiam pauperes ſæpe hoc vitium perpopulatur, quibus tamen ad coquendam offulam vix domi ſuppetit focus.

III. Ah quanta hæc ſcintilla frequenter excitat incendia! bellè Diuus Hieron. lib. 1. contra Iouin. ſub fin. ait.

Amor formæ rationis obliuio eſt, & inſaniæ proximus, fœdum, minimeq; conueniens animo ſoſpiti vitiũ, &c.

Quàm fallax lutum eſt Cæcus Cupido puer, nõ pueros efficiens, ſed ſtultos creans: rectè dicitur veteri adagio:

Quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.

Suam quiſquis hîc vlulam, pro niſo exoſculatur.

Mi-

Mirandum est quod Ælianus lib. 9. var. hist. refert.

Adolescens erat Athenis, quem stygius hic amor eò rapuit, vt omni explodendum sæculo factum hoc commiserit. Erat in Prytannæo bonæ Fortunæ statua, hanc ita altè stolidus Amasius pectori infixit, vt eam à Magistratu magno etiam oblato auro emendam exorare niteretur, cùm verò id rogaret sæpius frustra, tum demum infelix procus statuam adit, amplectitur vt amicã, coronat serto, induit serico, adolet, libat, sacrificat, & pugione in pectus adacto, illius non factus potis, exanimatus à sinu delabitur eò infelicior, quòd à bona Fortuna ad Orcum descenderit. Vah dementiam!

At mirum non est, inquis, pagani hominis hoc delirium fuit.

ne

ne puta istud, etiam apud Christianos talis deliratio interdum diuertit, eò maior appellandus furor, quod etiam sacro fidei lumine docti nonnulli, ijsdem tamen cum pagano tenebris sepeliantur. Quid mirum! omnis ille cæcus est, qui Veneris lampada circumfert.

Anno 1608. vt supra citatus Ioan. Lud. Gottfrid refert, homo Nobilis in Gallia vixerat, qui causam ratione homicidij dicere jussus ad aulam Henrici IV. citatus est, cùm verò se obsequentem dare nollet, & ab arce sua discedere priusquam Rex capitis accusatum, securum vitæ faceret, & securi liberum pronuntiaret, Tribuno cuidam, seu fortè chiliarcho Rex negotium dedit, qui Morlier vocabatur, vt castrum immorigeri hominis vi expugnatum vna cum illo ob-

lo obtineret. ¡Tentauit miles, vt Regis mandatum expleret, quantum potuit, sed frustra omnia, quin non vno è suis trucidato actum agere visus est ; maioribus ergo machinis arcem verberare ac premere Morliero placuit, quod vbi Mussardus aduertit, eò pertinacius egit, ferreoque globorum imbre cum suis, qui pauci tamen erant, respondit. Vidit Tribunus desperati hominis consilium nonnisi multo sanguine euertendum, quapropter alio ex cardine rem adgredi voluit. Habebat penes se Mussardus Damam aliquam, quo nomine abutuntur multi, vt honestiore vtantur Venere ; prolem insuper ex ea tollebat ille, hanc in rem mulieris matrem subornat Morlier, mittit vt filiæ persuadeat, dederet sese Amasius, & Regi manus

nus daret, noluit ille, sed dimissos ex castro famulos vna cum Infante transmittit. Amasiæ ait liberum esse, sociam se addat, si collubitum sit; At illa: malè vertat hoc mihi cælum inquit, si ego te charissimũ decus deserere velim, sociemus mortem, qui amorem iam sociauimus, simulque matrem amplectens, rogat vt Deum placare pro animâ sua velit, velle se mortem oppetere potius, quàm ab amico auelli. O pulchræ preces, ambire cælos, & Tartara amplecti! Cùm ergo Morlierus nihil se expedire cerneret, portas arcis maiori ballistæ fulmine quatere constituit; Aduertit hostem armata vis, cui porro reniti videbat frustra esse, quapropter ligna comportans rogum adornat stramine fartum, eique insidens, concubinam subsellij

huius

huius sociam adhibet, cuius dextræ sclopum globo oneratum indit, ipséque altera armatus manu jaculabili eadem ex fistula globo jubet, vt quãtocyus aperto castro seloporum parato iam catulo, morâ statim digito ligulâ semet rectissimâ ad pectus lineâ transuerberent. Euenit ita, vt ex pacto conuenerat, vix portæ arcis apertæ erant, & ignibus subito Mussardus rogo subditis, simulq; ad punctum cum Amasiâ globi ictum diuidens, vno funere ardentem se cum illa in rogum vterque mortuus porrexit, ita par nobile hoc scilicet, quas hîc arsere flammas in æternis inferorum ignibus continuarunt.

Non sufficit Veneri ardere hîc, nisi etiam ibi vstuletur, perpetim arsura nunquam exurenda.

Vah venustulum Phœnicem, qui

qui suos etiam è rogo famosos cineres plus quàm Vesuuius ad nostram vsque Germaniam jactauit.

Perbellè S.us Cyprianus ait lib. de bono pudic.

Impudicitia semper est detestanda, &c. cupiditatum infesta rabies, incendium conscientia, mater impœnitentia: ruina melioris ætatis, contumelia generis, &c.

Et Chrysost. Homil. 11. in 1. ad Cor.

Anima quippe, quæ à libidinis cupiditate capta, sicut nebula & caligine corporei oculi: sic ab illo mentis prouidentia præoccupata, nihil intueri potest vlterius, non præcipitium, non gehennam, &c.

IV. Versa animo qua ratione cùm Veneri adsuescitur, ægrè admodum eluctari quis possit, quam in rem Augustinus inquit lib. 6. confess. c. 12. & lib. 7.

Dum seruitur libidini, facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.

Auscultа tristificam & perluctuosam, quæ Comis in Italia contigit, Tragœdiam. Erat nonnemo scorti sui amoribus implexus, concubina illi hæc erat, focaria magis dicenda, quæ rogum illi ad orcum instruxerat nequam femina. Pulsabatur acriore repente febri, adeo vt actum de vita pronuntiarent medici. Adest quamprimum de Societate Iesu sacerdos, monet, vt exactâ ex ædibus lupâ, paratam corpori valedicere animam S. cõfessionis sacramento perpurgaret, iratúmque sibi Numen sacro piamine placaret, nisi ardere vellet. Renuere ille & dicere, feminâ sibi hoc temporis in morbo maximè opus esse, quę cetera semper ipsi domus munia, per quam industriè

expe-

expediſſet. Redux ergo domum ſacerdos cum ſuis Deo ſupplicat, vt obſtinatæ mentis hominem reuocare ad frugem dignetur. Adeſt denuo ad fores, flexisque miſerum genibus orat, obſecrat hanc Penelopen domo eijciat, tandem impetrat, jubetur illa peſtilens flamma, ædibus exulare, confitetur reus, ipſiſque lacrimis ſeriam eſſe pœnitentiam teſtatur. Repetit ſacerdos lætus inde conſuetos lares, alter paulò poſt è vita diſcedit. Illuxit manè dies altera cùm noſter defuncti manibus rem conficere diuinam parat, pergit, & repentè, occultâ prohibitus remorâ, audire ſe putat: ſiſte; quo te via? pergit nihilominus, & iam ſacrario propinquus, occultâ vi duob⁹ ferè paſſibus retro agitur; neque dum cedit, ſacris ſe paramentis

induit, missam orditur. En miserandum euentum!

Vix minister ad Introitum, vt loquimur Confiteor recitat, cùm horrifica se vmbra ad Epistolæ latus sacerdoti obijcit. Et, frustra, inquit, pro me supplicas, desiste. Exhorruit Pater, ac an tu ille es, inquit, qui hesterna die tantis cum lacrimis tua mihi scelera pandebas? Eheu, ait infelix spiritus, equidem propitius iam mihi Deus culpæ omnis gratiam fecerat, sed cùm tu domum repeteres, adest iterum assueta mihi femina, quæ grabato me erigere, & lectum sternere cogitat, dumque meis ita obuersatur oculis, subit quàm pulchrè hac sæpius venere me oblectarim, itaq; bene præsens animo, affixus tamen amasiæ illecebris, repente animam ago, morior & ærer-

æternum damnatus crucior. Hisque dictis relicto ad aras mystâ vanescit fatalis vmbra, eo abitura, vbi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Philipp. de Vltremont in pædag. Christ. p. 1. c. 4. & alij narrant, viden amator Pyrame, quo sua hunc miserum Thisbe rapuerit? cernis quo inueterata flagitij consuetudo insanum traxerit Orpheum. prô dolor.

Vsque adeo dulce puella malum est!

Hi sunt putei bituminis vbi Rex Sodomæ cæsus perijt Gen. 14. Verum Iobi verbum est cap. 20.

Ossa eius implebuntur vitijs adolescentiæ eius, & cum eo in pulvere dormient.

Qua de causa si cælum tibi, si animæ salus curæ est, matura pœnitentiam.

Sera nimis vita est crastina viue hodie.

Cùm semel Infetnas intrarunt funera leges,
Non exorato stant Adamante viæ.

Fidelem cõscientiæ arbitrum circumspice, supplica Numini, & cũ Augustino sape, qui simili vulneratus telo, malagma inuenit, fatetur quidem, cum ait lib. 8. confess. cap. 7.

Ego adolescens miser valde, etiam petieram à te (ô Deus) castitatem & continentiam, sed noli modò. Timebam enim, ne me citò exaudires, & citò sanares à morbo concupiscentiæ, quam malebam expleri, quàm extingui, &c.

Sed se tandem feliciter ex hac cloacâ euoluit? D. Bernardi memor esto, quàm nobilem aliquem à fatali hac luctâ prosperè expedierit? suasit

ſuaſit Bernardus vt, hoc ſi modo exire vellet, diebus ſaltem tribus in Numinis gratiam contineret, ſeſe. Obſequens fuit; porro juſſit Bernardus vt Deiparæ ergo, ac deinceps Apoſtolorum nomine, ſanctorumque Martyrum ac Virginum cauſa, abſtinens eſſet, etiam paruit diebus adhuc multis, reuerſus tandem ad Bernardum fatetur, ferream tandem ſe conſuetudinem viciſſe, ac ejurato Cupidine, ſceleſtáque damnata dehinc vitâ, eo iam caſtimoniæ paſſu ambulare poſſe, qui Chriſtianum deceret. Ne ergo dixeris, non poſſe te Venerem deſinere, credo equidem, pugnare non vis, Regnum cælorum vim patitur, non paruæ operæ aut laboris eſt Olympum conſcendere, ſudandum eſt, Dij bona laboribus vendunt.

Inter omnia certamina Christianorum, sola dura sunt prælia castitatis; docet S. Aug. lib. de honest. mul. cap. 2.

V. Quare vt primùm mentis fores pulsat Venus, aut scintilla cupidinis titillat, resiste, expelle, principijs obsta, serò medicina paratur.

Diaboli, inquit Cypr. serm. de Ieiun. primis titillationibus obuiandum est, nec coluber foueri debet, donec in serpentem formetur.

Nolo sinas cogitationem libidinis crescere, nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat; Dum parua est hostis, interfice. Hieron. Ep. ad Eustoch.

Si hoc se remedio armasset Dauid. non adeo turpiter victus, adulterio pollutus fuisset. Vrget te hîc orcus, cœlum precibus pulsa, clama cum Angelico Doctore.

Ne

Ne finas quæso Domine IESV, & in sanctissima mater, & Virgo Maria, vt tam immani me scelere obstringam.

Ora cum S. Aug. lib. 10 conf. cap. 29.

O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris. Charitas Deus meus accende me. Continentiam iubes, da quod iubes, & iube quod vis.

Cetera, nisi actutum reniteris, cogitatio in oblectamentum repit, oblectamentum in opus crescit, opus in consuetudinem abit, consuetudo in necessitatem ambulat, necessitas in desperationem volat, desperatio trahit ad Tartara.

VI. Subtrahe ligna foco, si vis extinguere flammam.

Sine Cerere & Baccho friget Venus.

Vtricularis tibia vento ebria, garrit tantùm; fuge otium, proscribe

gulam, ventri bellum indicitò. Castiga cum Paulo corpus tuum, & in seruitutem redige 1. Cor. 9. 27. Saturata tantùm scalpturit capra. Quid mirum insuper, si neglecta oculorum custodia passim in aliorum vultibus obērrans, à Venere petaris, cùm velut Lupanar oculorum orbes tibi patent omnibus, cur non intret Cupido, qui quo cæcus est magis, tu plus nimio oculatus es?

Audi S. Gregor. 21. mor. c. 2. *Intueri non decet, quod non licet concupisci.*

Melius hic dixeris: Ex oculis, ex animo.

Non possum quin ijs exemplum sistam, qui vbertim adeo negligentes suos oculorum Orbes in Orbem omnem euagari sinunt, nulla est Helena, quæ te non statim Habeat Paridem, nullus Paris, qui non te sta-

te statim Helenam inueniat. Nullũ Ius oculis dicitur, tactui vel auribus, omnes sensus patent vitijs Nõ opus est Orco annuere oculis, in procliui sponte se offert. Eheu quantus sæpe Dauides, quantus Holofernes perijt, cum oculis deperijt.

Narrat Basilius Seleuciæ quondam Præsul lib. 2. de miraculis S. Theclæ cap. 16. rem eiusmodi gestam.

Erat festus dies D. Martyri Theclæ sacer, hûc, vbi omnia Templorum solemnia absoluta essent, duo in hospitio conuenerant qui Irenopoli aduenerant, deprędicabant multum diei huius peracta celebria, cùm alter inquit, Orentius nomine: prædicet quisquis festiuas hasce pompas & lætabilem diem.

Vna res perplacuit mihi, quam

è Templi Odeo deſpiciens, plurimum ſuſpexi. Feminam ſum intuitus proh quantum formæ miraculum, nihil mihi Muſica, nihil Ornatus templi, nihil Oratoris Eloquentia, ſola hæc ſola delicium mihi præ omni Ambroſia & Nectare fuit, adeo vt nihil magis cordi eſſet, quàm vt Martyrem Theclam exorarem, quo efficeret, vt hac mihi formâ liceret frui. (ò pulchræ, cæloque dignæ preces, ſcilicet!) Interea ſermo alius etiam per menſam ambulabat, ſurgitur à cæna, & lectulis conceditur, ſolus hic Orentius largo licet pocænio inuitatus indulgere ſomno non potuit; videtur ſibi aſpectabilem ſe habere S. Theclam Throno aureo inſidentem, & cuiuis propinantem munera, qui Feſtum hunc diem celebraſſet, inter quos etiam

Oren-

Orentius erat, huic videbatur. Thecla dicere: pernosse se, quid adamaret, iret porro & optatum hoc donum elegantem feminam domnm duceret. Exultat ille venustâ potitus præda. Sed vix hora effluxerat, cúm diu petita hæc Venus (orcus erat.) Adest, Orentium accedit, amplectitur, & in Harpyiam illico mutata, hominem lacerare incipit, cutemque à capite ad pedes diripiens infelicem Marsyam, adeo fœtore & vermibus opplet, vt multi, qui in cubili erant, animo linqui cœperint.

Hic fuit Epilogus, quem insanus amor, ex somnio Tragicam fecit historiam. Dubium non est justum hîc Deum exemplar ante oculos statuere ijs voluisse, qui nimium oculis indulgentes, sacras ædes vt fit, sacrilega luminum lam-

lampade profanare, passim desecrare, & exaugurare quasi consueſcunt.

VII. Si præterea frænum inijcere Veneri cupis,

Memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Eccl. 7. 40.

Sicut clauus clauum expellit, ita sæpe recordatio ardoris gehennæ ardorem excludit luxuriæ. ait Isidorus lib. 2. cap. 39. de sum. bon.

Idem remedium suis adhibendum Magnus ille Antonius Athanasio teste, voluit.

Cessabit amor mulierum, inquiebat, libidinis extinguetur incendium, si ante oculos semper habebimus vltimæ retributionis aduentum, quia maior formido Iudicij, & pœnarum timor horridus simul & lubricæ carnis incentiua dissoluit, & rueutem quasi ex alta rupe sustentat.

Scriptum reliquit Thomas Cantipratensis lib. Apum. de Guidone

pres-

presbytero, eum aliquando incautiori oculo feminam contemplantem tribus adeo annis inflammatum esse, vt mortuæ etiam feminæ illi forma præ oculis semper oberraret. Quare cùm cerneret Orci pertinaces tedas, multa iam nocte clam tumulum sepultæ aperuit, sesèque tamdiu fœtore cadaueris oppleuit, donec ferè animo deficiens ipse exanimaretur. Effecit hîc sui factus victor vt dehinc, omnis eiusmodi flamma ipsum nec afflare, vel vstulare quidem sit ausa.

VIII. Obsequere monenti Paulo: Fugite fornicationem 1. Cor. 6. 18. Ita nobilis ille Patriarcha Iosephus nos docet Gen. 39. 12.

Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam, monet Augustinus. Nec tibi verecundum

dum sit fugere, si castitatis palmam desideras obtinere. Serm. Dom. 25. post Trinit.

Aiunt in Indijs viperam Boiuningum reperiri omni veneno magis pestilentem, hæc quasi crepitaculum seu tintinnabulum in capite gerit, vnde viator exaudire possit, vt fugæ locum habeat. Quid aliud feminæ ornatioris vultus est, quã talis vipera, fuge ocyus, cùm illa oculos vel aures pulsu inuitat, ne animum verberet.

Fidentemq; fugâ Parthũ, versisq; sagittis. Virg. 3. Georg. te prabe. Bellicosus miles quòd in bello fugit, artis est, non timoris ait D. Pet. Chrysol. Serm. 150.

Abscinde facultatem huic sceleri, & quod Vrsinus olim moriens feminam abesse lectulo jussit exclamans: remouete stramẽtum, nondum extinctus est fomes, Tuviuus

hoc

hoc age. Feciſſet hoc Comenſis ille, vt diximus, non modò arderet. Nolle hîc fugere, eſt vinci. Doloſus luctator eſt Cupido, facile hominem captat ſæpe, licet eminus pugnet. Fallax hic Retiarius vt te Mirmillonem habeat, canit quidem: non te peto, piſcem peto, quid me fugis Galle? Fuge tu, fuge, ne fide, viciſti dum fugiſti. Quare, ſi triumphaſti, illam ſperare lauream potes, quam Deus Apoc. 3 5. adpromiſit.

Qui vicerit, ſic veſtietur veſtimentis albis.

Vincendum tibi eſt Chriſtiane, aut ardendum. M. Furium Camillum agit Chriſtus, neminem agnoſcit militem ſuum, niſi victorem.

Quam ergo palmam, vt nanciſci poſſis, ſiccælum precibus fatiga.

Ora-

Oratio.

DOmine IESV Christe, qui vt sponsa Cant. 16. ait: Pasceris inter lilia & castas animas. Tolle à nobis desideria carnis immunda, & impuras cogitationes repelle: indue animas nostras stolâ pulcherrimâ Castitatis, & corpora nostra munditia & virore nobilita, vt animo & corpore in nobismetipsis magnificum Spiritui sancto habitaculum exornamus. Amen.

INVIDVS AMORRHAEVS.

AMorrhæus voce in Latinũ traduce, pronuntiatur Amarus, vel amaricans, quo nomine capitur inuidia, cui

Fertilior seges est alieno semper in agro,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Ouid. 1. de arte.

Vis

Vis illius Ectypon? Audi Ouid. 2. met.

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nunquam recta acies, liuent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno.
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecére dolores.
Nec fruitur ſomno vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcítq; videndo
Succeſſus hominum, carpítque & carpitur vna,
Suppliciúmque ſuum eſt.

Inuidus ſanè ſuus ſibi culter eſt, quo ſemet excoriat. Vitium hoc ſi febris eſſet, totum iam mundum conſumeret. Veſpertilio eſt, ſolem odit; vbi lumen eſt, Inuidia vmbra adeſt,

adest, nunquam illi est bene, nisi alijs sit malè. Alieno bono dolet suus sibi liuor factus carnifex.

Inuidia est Tristitia de alieno bono, in quantum propria excellentia est diminutiuum. S. Th. 2.2. q. 36.

Si hæc Tristitia ex odio procedat; ita vt malum alicui velimus, propter ipsum subiectum & personam, quæ nobis inimica est, tunc peccatum est, & si malum graue est, & odiũ ex libera voluntate, mortale est, secus veniale.

Est autem iuxta sanctum Thomam, & omnes Doctores ex genere suo mortale, si hæ duæ adsint conditiones.

Vna est, si plenus adsit voluntatis consensus. Altera est, vt bonum, de quo tristamur, sit graue, cùm enim leue est, veniale est.

Licitũ etiam est tristari ex charitate

ritate & justitia, imò bonum est. Velut tristari de alicuius sanitate, quia illi est occasio grauiter peccandi: vel quòd dignitates conferantur indignis, & justitia violetur, aut quia Hæresiarchæ alios seducentes viuant, licet mortem illis desiderare, ne alios inficiant.

Ex his multorum casuum resolutio patet. Ita Tolet. de 7. peccat. mort. cap. 56.

Inde aliquando Inuidia solùm est æmulatio, quæ non procedit ex odio, non quod inuideat alteri, sed bonum tale etiam sibi exoptaret. velut in pueris non semper malum est, cùm pro maiori subsellio ratione doctrinæ dimicant. Quod docet S. Hieron. Epistol. ad Lætam, cùm monet vt socias puellæ det quibuscum discat, quibus inuideat, quarum laude perculsa,

amplius

amplius ad discendum accendatur. Nos verò de propriè dicta hîc agimus inuidiâ, ex odio maximè prosiliente. quapropter Amorrhęus hic eiusmodi telo iternendus est.

I. *Inuidia diaboli mors introiuit in orbem Terrarum. Sap. 2. 24.*

Vitium sanè hoc diabolicum patet in Caino. Gen. 4. in fratribus Ioseph Gen. 37. in Saule 1. Reg. 18.

Vox Basilij est hom. 11.

Fugiamus intolerabile malum, serpentis, id est, præceptum, diaboli inuentum, &c.

Quàm ægrè inuidus alienam prosperitatem audit, similis animali, quod Aristoteli dicitur Abane l. 2. de an. cap. 2. & fel in auribus circumfert.

Calamitas sine remedio est odisse felicem, &c. Zeli vulnera obstrusa & occulta, nec remedium cura medentis

tis admittunt, qui se intra conscientia latebras caco dolore clauserunt.

Plura de hoc scelere relinquimus legenda ex S. Gregor. 5. Moral. cap. 34. August. serm. 83. de Tẽp. Chrysost. Homil 41. in Matth. & Hom 44. ad pop.

Inde optimum huic vitio Remedium est Modestia, seu humilitas, quoniam superbiæ comes est Inuidentia, fieri enim non potest, vt superbus non inuideat, asserit S. Aug. in psal 58 Bellè in rem quoq; præsentem Cyprianus vult vt fraternæ charitati assuescamus.

Exempla quoque multorum adhibe, qui suo se liuore in exitiũ dedere, quòs fusè enumerat S. Cyprianus de zelo & liuore.

Scias velim nisi maturè hanc bestiam expugnes, fore, vt te repente pessum det, picea res bilis est,

est, quæ multos etiam vsq; ad Inferos comitata est, tenax odium cum multis etiam in feretro indormiuit.

II Rem eiusmodi scriptam reliquit P. Gabriel de Vega Soc. Iesu Rector Viseriæ seu Matriti.

Erat Cordubæ in Hispania nõnemo etiam sanguine clarus, is liuore ac odio in alium accensus nobilem, fatalem in morbum delapsus est, qui vt Christianè videretur emori, sacerdotẽ ordinis nostri vocat, cui delicta enumeret, renuit ille confitentẽ audire prius, nisi pernotum omnibus odium è pectore eijciat. Vocatur alter, à quo Vatiniano dissidebat liuore, stabilitur amicitia, confitetur æger, de piaculis absoluitur, sacróq; Christi epulo muniri visus, emoritur. Vix sepultus erat, cùm noctis

ctis concubio, ephebi duo ad Collegij fores cũ facibus præsto sunt, Confessarium defuncti vocãt, iret cum ipsis ob causam, quę magnam Dei gloriam attineret, ducunt ad Templum, vbi nobilis ille humatus erat, claues dant, vt sacras aperiat ædes, pergunt denuo ad Aras, quibus sanctuarium stabat sacro Christi corpori custodiendo, jubent illud quoque recludat, sacramque pyxidem ad sepulchrũ deferat. Eo vbi peruentum est; O Pater, inquiunt, scelestum hic jacet caput, homo hic, qui vixit, hypocrita fuit, simulauit dolere se de peccatis, & indulgere inimico, ac veniam dare; ore tenus hoc dixit, non animo, hinc æternus Phlegethontis hospes iam vritur, sacra illi etiamnum Hostia in lingua Eheu jacet! hanc vt ex sa-

crilego liberes ore, & arculæ re-
ſtituas oportet. Dictum factum,
ephebi (cæleſtes erant genij) illi-
co pedum pulſu tumulum aperiũt,
patet infelix cauea, damnatum ca-
dauer caput & linguam exſerit, ac
impius Iudas ſacratiſſimum quod
guſtauerat, ferculum adhuc inte-
grum ex ore in ſacerdotis dexte-
ram effundit, reſtituit ille charum
pignus capſulæ ſuæ, quo facto a-
doleſcentes illi denuo monumen-
tum pedibus cædunt, & ecce tibi
execrandum funus illico immani
caſu cum tumulo in profundum
ita properat, vt oculis aſſequi am-
plius noſter non potuerit.

Facilis deſcenſus Auerni, quo
forte, vt multi cẽſent, plures etiam
corpore abierũt, vnde eheu aſcen-
ſus nõ difficilis tantùm, ſed nullus
eſt. Finijt ſpectaculum, & cum fa-

cibus

cibus adoleſcentes trementem Patrem domum proſequũtur, (clauſus denuo erat tumulus, & ſacra quoque hoſtia ſuo reddita ſacrario) ibi dum vale dicere ſacerdos orditur, & oculis ephebos proſequitur, ex oculis illi euanuerunt.

En tibi quàm altas Inuidia & Odium radices ponant! etiam dũ anima diſceptat ſæpe, morientem comitatur. Age denuo infelix cunctator, qui multus es, & pœnitentiam in mortẽ procraſtina. Quod huic miſerando homini accidit, multis hodieque euenit, pœnitere vis, dum ſpirare amplius non potes, & vt verius in Phlegethonta properes, fictè cælos intrare cupis. Non falluntur aſtra. Phæbum habent, nemini delicatior eſt oculus, nemini perſpicacior.

II. Non poſſum hîc imperare

mihi, vt in moratores illos inuehar, qui pœnitere ibi volunt, quando tumulandi sunt. Eheu quantũ in te injurius es, qui tibimet adhuc sospes cælum inuides, quod obtinere adhuc potuisses. Viuis & viuis, epularis & helluaris tum demũ sanctum fore te speras, vbi nec amplius facultas est, vt cum Christiano ad Astra suspirium ducere possis, serò nimis illud grande opus differs, & moras trahis eò, dũ spiritum trahis supremum. Clamas equidem cum Balaaam Num. 23. 10.

Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.

Dictum, non factum. Malè viuere cupis, & piè mori, grandis error est, semel perijsse, æternum est perijsse, hoc in bello peccare bis non

non licet, &, qui dudum peccare consuêsti, etiam in fine corrumpes. Egregia Bernardi vox est serm. 21. in Cant.

Quàm pauci post te, O Domine IESV ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit. Volunt omnes te frui, at non imitari, conregnare cupiunt, sed non compati, ex his ille erat qui dicebat: moriatur anima mea morte iustorum, &c. optabat sibi extrema iustorum, sed non ita & principia, &c. Non curant quærere, quem tamen desiderant inuenire, cupientes consequi, sed non sequi.

Non est Deus mortuorum, sed viuorum Marci 12. 27. Dum sanus es, perpetim in peccatis sepultus jaces, dum animam agis, Deo viuere cupis serò, & plerumq; actũ agis. Frequenter in ore illud Isaiæ habuisti cap. 28. (manda reman-

da, manda remanda, expecta, re-expecta, expecta, reexpecta, modicum ibi, modicum ibi) verè modicum ibi, pœnitere velle, dum anima iam ad labia sedens euolare incipit. Ita ergo ex illis es, quibus cum Cerbero conuenit eatenus, ne animam rapiat, dum peccare amplius mors prohibet.

Percußimus fœdus cum morte, & cũ inferno fecimus pactum. Flagellum inundans cùm transierit, non veniet super nos: quia posuimus mendacium spem nostram, & mendacio protecti sumus. Sed ponam in pondere Iudicium (ait Deus) & Iustitiam in mensura, & subuertet grando spem mendacij &c. & delebitur fœdus vestrum cum morte, & pactum vestrum cum inferno non stabit. Isai. 28. 15.

Aliud carmen eiusmodi audaculis præcinendum est ex sanctis Patribus ac Theologis, vbi ne nimis arctas

ctas videar leges præscribere Ludouicum Granatam Duc. peccat. l. 1. p 3. c. 26. Virum omni eruditionis ac integritatis genere celebrem cum alijs pro teste infra adponam. Parcendum hîc calamo non est, qui suę nolunt animę parcere, dum adeo prodigè pœnitentiam in mortem differunt.

II. Audite Diuina Numinis Oracula dissoluti peecatores, & sapite. Prouerb. 1. 24. clamat Deus.

Quia vocaui, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret. Despexistis omne consilium meum, & miserationes meas neglexistis. Ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo eùm vobis id, quod timebatis, aduenerit, &c. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam: manè consurgent, & non inuenient me: eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, &c.

Moysen DEVS occidere voluit, Exodi 4. 24. quòd filij sui Eliezer circumcisionem comperendinasset, distulit rem Moyses Abulensi & Lyrano teste, quòd recens natus esset filius, vnde grauia itineris damna metuebat, si eum circumcideret. Tu mi peccator eiusmodi causas neutiquam habes, & si Deus mactare Moysen voluit, qua ratione tibi parcet? Noli esse ciuis illius vrbeculæ Jam Iam, semper jam jam inquiens ad frugem me corrigam, interim labuntur dies & anni, interea tu semper antiquum obtines tuum, & in peccatorum cœno volutaris.

Habenda est gratia, quoties te salutat occasio, Quo maturius pomum est, hoc putredini propius. Pœnitentiæ tempus non in mantica ad numerum circumfertur.

Ah

Ah propera, nec te venturas differ in horas,
Qui non est hodie, cras minus aptus erit.

III. Repromissio nequissima multos perdidit Eccli 29. 24. Nequam promissio est: cras resipiscã, nequior adhuc: Iuuenis sum, at senio donabo pœnitentiam. Nequissima verò: capularis olim senex priusquam extremum spirem, egregiè animum in lacrymas & dolores noxarum flectam.

Erras longè erras mi homo, quod non sapis vegetus Iuuenis, delirus senex sapies minus. Audiamus Theologos: differre pœnitentiam longo tempore, vel vsq; ad finem vitæ videtur nouum esse peccatum mortale, ita videtur sentire S. Th. p. 3. q. 84 a 5. citans illud Eccles. 30. Miserere animæ

tuæ, placens Deo: Ita Henricq. Suar. & alij.

Probatur ex verbis Apostoli ad Rom. 2.

Ignoras quoniam benignitas DEI ad pœnitentiam te adducit? Secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.

Ratio peti debet tum ex parte Dei, in cuius inimicitiâ longo tempore persistere, præsertim ipso excitante, ac monente per auxilia gratiæ videtur nouam iniuriam, & interpretatiuum Dei contemptum continere vt diximus prouerb. 1. 24.

Tum verò ex parte ipsius peccatoris; siquidem is in lethifero delicto diu persistens grauissimam spiritualium bonorum jacturam, periculum recidendi, ac demum indurationem in malo incurrit.

Inde

Inde S. Gregor. ait Homil 11. in Ezech.

Peccatorem diu expectat Deus; vt redeat; non redeunti, atque contemnenti ponit (offendiculum) vbi grauius impingat.

Sic Concil. Mileuitanum can. 3. docet, hominem sine gratiâ sanctificante diu seruari non posse à lapsu peccati mortalis. Vnde se homo præcipitat profecto in præsens periculum alterius peccati ex altero incurrendi.

Disertè monet Augustinus.

Serm. 122. de Temp.

Calidis vulneribus solēt medicamenta subuenire celerius: monet & rogat nos Deus, vt à peccatis mortiferis nos reuocemus. Audiamus illum, dum rogat, ne postea non audiat, dum iudicat.

In hos tendit illud Sophoniæ 2.

Vox cantantis in fenestra, coruus in superliminari.

Talibus ſuum Cras, Cras, exitio eſt.

His cum Auguſtino dicimus: *Vſquequo verba lenta & ſomnolenta, modò, ecce modò, ſine paululum: & modò non habet modum, & paululum vadit in longum. Quare non modò, quare non hac horâ finis turpitudinis veſtra?*

Memorat S. Antoninus 2. p. ſummæ. Tit. 9. eiuſmodi factum.

Adoleſcens erat, ſanguine clarus, qui omnibus delicijs & luxu affluens, manè ſemper ſomno valedicens has ad Deum preces fudit: vt ſe monitum vellet & nuntium mitteret præuium, priuſquam aliquando ipſi è vitâ diſcedendum eſſet. Angelus ergo illi vna vice aſpectabilis fuit, eum à Deo auditum eſſe pronuntians, nempe illũ ſine præſagio non moriturum. Inde ſui factus ſecurior in omnem

ſe

se libidinem præcipitauit. Interea repente dolor illi capitis obortitur, incipit stomachum febris quatere, demum in lectulum illi cõcedendum est. Monetur ab amicis, vt animæ consulat, ac animum sordibus eluat. Respuit; inualescit morbus, neque tunc monita proficiũt. Tandem mors pulsat fores. Commonitus ille iterum adeo se grauatum ait; vt vix sciret, quid responderet. Vltimò Angelus ei prę-sto est qui dixit: adesse iam tempus quo vitæ illico sit valedicendum. Queritur ille de promisso nuntio. Et nonne, inquit, Genius Legatorum abunde fuit? monuit ipse te morbus mortis vbique prænuntius, monuêre amici, hortatus est sacerdos, non patebant aures, moriendum est. Ita repentè sine expiatis scelerum delictis, ex-

tingui-

tinguitur. Cernitis adoleſcentes, quo ſua hunc ſocordia, & juuentutis ſecuritas auocârit. Iuuenes citò mori, ſenes non diu viuere poſſunt. Æquè juuenum ac ſenum cadauera denſantur. Non eſt quod juuenili nimium cõfidas ſanguini, ſæpe ſe illo mors purpurat, quia præ ſenibus validior eſt.

Præterea multa tibi adhæret negligentia: Iuriſprudentiæ vox eſt.

Non eſt cenſendus hæres, qui non feſtinat capere hæreditatem.

Ita mihi præſagus eſt animus, nullum te cæli hæredem fore, quia adeo vecors nullam cæleſtis patriæ curam habes.

Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. Eccleſ. 12.

Non es vitæ tuæ Dominus, Mors eſt, Deus eſt, O miſelle ſeruule volupratum,

Neſcit

Nescit homo finem suum, sicut pisces hamo, & volucres capiuntur laqueo, sic homines in tempore suo. Eccl. 9.

Vis vt non amplius irascatur tibi Deus, jrascere peccatis tuis, ne quem iam placatum inuenire possis, iratum aliquando reperias.

IV. Nequior adhuc promissio est illorum, qui præfidentes pœnitentiam in senium reijciunt. Dum feruet ferrum, cudendum est, cùm defrigescit lamina licet sudet malleus, vix efficit aliquid. Jta ne tu frigidum Deo senium, juuentæ florem Orco consecrare audes? Magna hæc iniquitas est!

Maledictus dolosus, qui habet in grege suo masculum, & votum faciens immolat debile domino Malach. 1. Memento creatoris tui in diebus iuuentutis tuæ. Eccli. 12. 1. Confiteberis viuens, viuus & sanus confiteberis Eccles. 17. 27. Qua in iuuentute tua

tua non congregasti, quomodo in senectute tua inuenies? Eccles. 25.

Satis alienus à fide est, qui ad agendam pœnitentiam tempora senectutis expectat. Metuendum est enim, ne, dum sperat misericordiam, incidat in iudicium, inquit S. Gregor. in mor.

Quis tibi senectam promisit? an tu Iouis diphtheram inspexisti? Adolescens juxta viam suam, etiã cùm senuerit, non recedet ab ea. Prouerb. 22. 6. Vetus verbum est: Nequam puer in impium abit adolescentem, declinat in nefariũ juuenem, ex juuene in sceleratum ambulat virum, ex viro in nequissimum senem repit. Mortuo mederi, & senem docere idem esse inquiebat Cynicus. Qui ante triginta annos non formosus fit, ante quadraginta non diues, nullus fit amplius, Ita rarò bonus est senex,

quĩ

qui improbus fuit juuenis. Non mutabit Æthiops pellem. Consuetudo altera est natura. Scintillis assueuit faber; nec senex curat; sæpe canos comitatur Venus, dum gallus etiam vetulus adhuc cristis rubet, gallus est, canit. Nil crede senio, raro te probum faciet, quem improbum accepit. Sed properamus ad nequissimam illorum promissionem, qui pœnitentiam in ipsissimam vsque mortem reijcere audent.

Equidem Cypriani dictum est: *Pœnitentia nulla sera est, si vera.* At, quàm periculosè in morte vera sit, audiamus.

V. Augustini scitum est serm. 67 de Temp.

Datur quidem in extremo pœnitentia (id est pœnitentia sacramentum ait Layman. l. 5. Tr. 6. c. 2.) Quia negari non potest: sed auctores tamen

men esse non possumus, quòd, qui sic petierit, mereatur absolui. Quomodo enim agit pœnitentiam lapsus? Quomodo agit pœnitentiam in extremis vitæ finibus constitutus! Quomodo pœnitentiam agere possit, qui nulla iam pro se opera satisfactionis operari potest?

Et homil. 41. ex 50. relatus in d. 7. de pœnit. subiungit.

Vis ergo à dubio liberari? vis quod incertum est euadere? age pœnitentiã dum sanus es: Si sic agis, dico tibi, quòd securus es; quia pœnitentiam egisti eo tempore, quo & peccare potuisti. Si autem vis agere pœnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.

Vide etiam auctorem de vera & falsa pœnit. cap. 17.

Accedit eiusmodi pœnitentiam valde incertam esse, & ex eo fonte suspectam, si infirmus non conetur excitare perfectum dolorem de

de peccatis, ne fortè vera ſupernaturalis attritio non ſit, quæ cum ſacramento ſit ſufficiens, ſed affectui adhuc malo inhæreat. Vnde & aurem vellicat Auguſtinus ſerm. 57. de Temp.

Pœnitentia, quæ ab infirmo petitur, infirma eſt: quæ autem à moriente petitur, timeo, ne & ipſa moriatur.

Vin exemplum? Pariſijs, ait, Cæſarius vixerat quidam, homo omni libidini & libertati deditus, is cùm ad ſupremam mortis luctã veniret, timore lethi adactus omnibus ſacramentis muniri petijt, euenit illud; vixit: effertur funus ſolenni pompâ, ridet Phœbus, ſecunda cælo ſtat apricitas, quiſque ait: quantis hunc impium hominem, ſed pœnitentem fauoribus comitantur ſidera! hæc illis merces, qui verâ ducti pœnitentiâ in gra-

gratiam Numinis restituti diem obeunt. Vix tertius illuxit dies, cùm fatales se defuncti manes pro lecto cuiusdam amici noctu sistūt: Et verò æternum inquit spiritus Phlegethontis incola esse jubeor: admirari alter & dicere: qui hoc fieri potuisset, cum sacris omnibus ritè instructus vitam valere jusserit. Et verò ita est, ait miseranda hominis anima, sed vna in re tam pretiosa Christi malagmata destituere & commaculare non dubitaueram, vera me emendandi mens, illa, illa desiderata mihi est, quo minus me cælum amplecti vellet: ore quidem vitæ emendationem promisi, sed eheu eo me ferreus rapuit animus, vt certum mihi esset, ac fixum, nec posse me, nec adeo velle, si vita porro redderetur ab inolitis iam voluptatum

tum amoribus abstinere: Ita justissimus Deus, qualem me inuenit, talem judicauit; magnam in me voluntatis ad pristinas reperit noxas inclinationem, sic repeto Eheu stygem; Iustus est Deus, pœnitentiam non admittit, nisi quæ seria est, & toto pectore arripi solet.

Equidem dicimus: Necessitas Adamanti dominatur, sed non semper fata animum conterunt, vt cælo gemmam reddant, multo nisu opus est inueteratum in sceleribus animum Deo integrum restituere, sæpe vitrea est pœnitentia, quæ censetur aurea. Ad rem clamat auctor de vera & falsa pœnit. cap. 17.

Qui prius à peccatis relinquitur, quã ipse relinquat ea, non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat.

Con-

Conuertere seſe, inuertere est & pœnitentiam agere, est pœnæ tenentiam amplecti, vt Patres loqui solent. Multi timore stygis Charonti naulum parati sunt soluere, sed adultera illa moneta est, quæ Charonti licet accepta sit, cælo tamen non accipitur. Delicata sunt sidera, aurum habere purum putumq; volunt.

Verum quidem est, vt D Isid. lib. 2. de offic. Eccles. cap. 16. de pœnitentibus affirmat.

Si quis circa finem suum per pœnitentiam desinat esse malus, non ideo debet desperare: quod in termino est vltima vita, quoniam Deus non respicit quales antea fuimus sed quales circa finem vitæ existemus. Ex fine enim suo vnumquemq; aut iustificat, aut condemnat. Sicut scriptum est: Vniuersorum finem ipse considerat. Iob 28. 3.

Addit

Addit tamen cautè agendum.

Non dubitamus, inquit, circa finem iustificari hominem per pœnitentiæ compunctionem: sed quia rarò id fieri solet, metuendum est, ne, dum ad finem differtur conuersio, interea occupet mors, priusquam veniat pœnitentia. Pro qua re etsi bona est ad extremum conuersio: tamen multò melior est, quæ longè ante finem agitur, vt ab hac vitâ securius transeatur.

Vide fusius loquentem Auctorem de vera & falsa pœnit. inter opera S. Aug. T. 4. cap. 17. vbi dicitur;

Qui peius à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat ea, non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat.

Delicata res est cælũ tunc primùm velle ingredi, cùm antea totam Infernis vitam donans, inter tot Dei injurias ambulasti. Non hic locum habet; quæ serò con-

gunt, magnifica sunt: Nemo hîc Cunctator sit Fabius, habebit ex aduerso Annibalem, à quo ipse cædatur. Pœnitere ibi velle, & cum Orco confligere, vbi spirare vix potes, ardua res est; sit sacer ille tibi præ oculis Textus Matth. 24. 49.

Si dixerit malus ille seruus in corde suo: Moram facit dominus meus venire: & cœperit percutere conseruos suos, manducet autem & bibat cum ebriosis: veniet Dominus serui illius, in die quâ non sperat, & horâ quâ ignorat & diuidet eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus & stridor dentium.

Sic monitum te quoq; vult Christus Matth. 25. Parabolâ de Virginibus fatuis: Et clausa est janua: Ad rem Aug. monet Ep. ad Diosc.

In quo quemuis inuenerit suus nouissimus dies, in hoc etiam illum comprehendet nouissimus mũdi dies,

quem-

quòniam qualis in die isto moritur, talis in die illo iudicabitur.

Quàm verè hîc experiére Tardè venientes, malè sedentes. quàm ardua ex Theologis res est verum emendationis propositum? quod sæpe cùm abest totius pœnitentiæ vim eneruat.

Facile est dicere: pœnitet me; Miserere mei Deus. Sed frequenter vt Augustini scitum est serm. 7. de Temp.

Professio est, non emendatio, accusatur anima, non sanatur.

Vsus experiundo nos docet, quàm proposita eiusmodi timore mortis tantùm sint cerea. Si fortè in Danubio nostro summè periclitatur nauis. Sunt Interdum lethalis noxæ piaculo obruti homines, qui nil de pœnitentia, nil de Deo cogitantes, tantùm id laborant, vt in littus euadant, Nautæ ipsi inter-

dum nauem etiam blasphemijs o-
nerāt, qui exonerare noxis animi
deberent. Alij timore gehennæ
culpas agnoscunt, in cælum cla-
mant, sed quia sine sacramento
Theologis Attritio non accipitur,
pessum eunt; Alij vota faciunt, o-
mnem vitæ correctionem spon-
dent. Euadit fortè Naufragium
cymba, periculosum superat
pontem. Siletur paululum, trepi-
datur, subridetur tandem præ
gaudio, magna omnium est gratu-
latio. Horam vix durat eiusmodi
consternatio, cùm secundo pergi-
tur cursu, tum demum cachinni,
risus, verba turpia, & lasciua etiam
comitantur nauiculam, & de pe-
riculo fit risus, quam comitari pœ-
nitentia cum vndis Istri, & lacri-
mæ debuissent. Ita vix Viennam
appellitur, & iam omne melioris

vitæ

vitæ propositum Danubio submersum jacet. Ista est complurieſ doloſa pœnitentia, quam timor mortis extorquet.

VI. Sed amplius cum Religiosissimo Granatâ subtilem quoque Scotum audiamus, in 4. lib. sent. vbi disertè affirmat: Pœnitentiam in extremis rarò veram esse, quam in hoc discrimine quadrinæ potissimùm causæ perdifficilem reddunt.

Vna est magna animi turbatio, quam infirmitas & morbus ciet, ac mortis timor adducit, adeo vt miser homo de fato sollicitus, ac corporis impeditus doloribus minus intentus in rem animæ suæ esse soleat. Aristotelis enim gnome est: Mors omnium terribilium. Terribilissimum. Quid tum ibi mens inter tot dolorum ac timo-

rum procellas multum se ad frugem verè reuocare poterit? Quotidiana nos docet experientia, si vel dentium nos premat dolor, quàm desides ad cælestia simus, etiam ij, qui diuinarum rerum non insolentes sumus. Malam corporis dispositionem Bernardus inter quatuor Contemplationis remoras ponit, vnde quàm friuolum est eò se coniectare & differre, vbi miserum corpus vndique cruciatibus obsessum est. Nouisse se ait quendam etiam virtutis cultorem, qui hoc temporis articulo commonitus Numen placare, nescio quid submurmurans, & quasi impatiens admonitionis, animam exhalauit. Nec alium sibi incognitum ait, qui cùm maximè ad cælum erigere mentem vellet, præ ægritudine nil potuerit. Quî ergo

tibi

tibi fiet, qui tamdiu peccatis innatans tam difficilem primùm tabulam quæris, vbi fluctus iam labia pulsant, quî tum tibi cælestia erunt insueta, qui totam ferè vitam nonnisi terrestribus & noxijs assueuisti? Ita Scotus.

Colligata est iniquitas Ephraim, absconditum est peccatum eius, dolores parturientis venient ei Osea cap. 13.

Habet hoc Hericius, partum differt, ne illius aculeis verberetur, crescit fœtus in vtero, retentus vim infert, erumpit, vnde mater ipsa frequenter præ doloribus crepat. Non frustra de his Deus ait, Isa. 14.

Ponam eam in possessionem Hericij.

Testis est ipse Bellarminus, de arte bene mor. lib. 2. c. 6.

Cùm inuiserem, inquit, virum diuitem juxta ac sanguine clarum, qui grauioris noxæ reus lectulo

attinebatur vltimùm, nihil de salutifera scire pœnitentiâ voluit. Commonitus hac de re, nil aliud responsi perpetim dedit, nisi: Ignoro quid dicis, nescio quid loquaris, ita obijt manifesta damnationis suæ vestigia relinquens.

Sic verum esse Augustini verbum intelligitur.

Hac animaduersione percutitur peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei.

Ita peccator supremo lectulo captus, pœnitentiam capere ob dolorem non potis, æterno orci ergastulo capiendus est.

Altera Scoti ratio est, quòd vera pœnitentia debeat esse voluntaria, ex voluntatis nimirum promptitudine proficiscì, & non ex necessitate coacta esse. Velut Auctor de vera & falsa pœnit. c. 17. affirmat.

Nullus

Nullus expectet, quando non possit peccare. Arbitrij enim quærit libertatem, vt dolere possit commissa, non necessitatem. Qui prius itaq; à peccatis relinquitur, quàm ipse relinquat, ea non liberè, sed quasi ex necessitate condemnat, &c. ita in meo Exemplari Antuerp.

Hinc est ex necessitate hæc pœnitentia, non fluit ex pura voluntate. Exemplo sit nobis Semei 2. Reg. 19. vidit is victoriam in Dauidem inclinatam esse, pœnamq; sibi instantem cum cerneret, veniam coactus petijt, quam timor vltionis expressit. Sed 3. Reg. 2. expertus est, quàm hanc Dauid coactã pœnitudinem acceptarit, quando Salomonem iussit vt hominem hunc debitâ morte multaret. Vidimus ante de naufragis, quàm mancus sæpe eiusmodi de peccatis dolor sit, qui post exhaustum

sæpiuscule periculum, in merum risum deuoluatur, qui nunquam fuit sincerus dolor.

Vlterior causſa Scotum perurget, quando asserit consuetudinem delictorum eò hominem adducere, vt etiam in supremo spiritu cõstitutum deserere nolit. Dum ad vmbras itur, vmbra hæc multos comitatur, quæ non sinit è cæno oculos ad cælum attollere, hinc multi suimet obliti, de liberis tantùm, de vxore, de opibus relinquendis cogitant, nil de Deo. Eiusmodi hominem Bellarminus inscenam dat, qui cùm alienis implexus bonis extremum decumberet, & Confessarium vocaret, à quo cùm adesset, auditurus piacula audijt: Ego mi Domine non eò vocatum volui, vt te judice noxas confiterer; sed cùm ad Inferos

mihi

mihi abeundum sit, vxorem ac liberos tantùm tibi commendare volui; ambulo ad stygem. Hæc ita pacato dixit animo quasi non ad stygem, sed ad campos potius Elysios properaret.

Vah socordiam peccatorum! annon hoc est sui extremè negligentem esse, dum sui in extremo aliqui adeò obliuiscũtur, quid mirum? Properant illuc, vbi nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia est. Eccles. 9. 10. Dum viuunt dies diei eructat verbum, post mortem actum est, ibi nox nocti indicat scientiam. Psal. 18. v. 3. ita loqui liceat ad illos, quos nunquam cæli memores, etiam cælum obliuiscitur.

Ne impiè agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Eccl. 7. 18.

Vltimum Scoti momentum est debilitas operum, quæ cùm maximè debilia sunt, tunc temporis esse marmorea putant, vt quæ fracta plerumque & flaccida sunt.

Non est admodum Deo gratum munus ait S. Lucia, quod, qui offert, ideo offert, quòd illius & sum suprema interdicat dies.

Quid obsecro illud magni muneris est, illatam ab inimico condonare iniuriam, tum temporis, vbi cum vindictâ emori magna apud Christianos infamia & dedecus est? censésne eximium quid esse concubinam prohibiti thori sociam tum demum eijcere, cùm animâ è corpore eijcienda est, & retineri amplius non potest, quando vita retineri non potest? Quæ ista voluntaria est hostia, quales hi volones? qui mortis supplicio militare sacramentum dicunt? Bellè

& di-

& dilucidè ait ingeniosissimus Doctor, qui rectè & probè addit: Christianum, qui deliberato verè animo pœnitentiam in mortis horulam prorogat, capitalis se criminis reum facere, quòd suam in animam adeo injuri⁹ sit, vt salutē suam tanto discrimini obijciat. Tentasse hîc Hercie, perisse est. Non decet Christianū Phaethontis Epitaphio vti:

Hîc situs est Phaethon currus auriga paterni:
Quem, si non tenuit, magnis tamen excidit ausis.

Viam ille ad superos tentauit, & ad Inferos deflexit, tu audaculus Phaethon ad Inferos tetendisti assiduò, qua ratione dum moreris, primùm ad Astra verso temone cursum diriges? Altum tibi ani-

mo descendat potius Oraculum illud Augustini in Epist.

Latet vltimus dies, vt obseruentur omnes dies, serò parantur remedia, iùm mortis imminent pericula.

Et rursus de doctr. Christ.

Non potest malè mori, qui bene vixerit; & vix bene moritur, qui malè vixerit.

VII. Sunt verò aliqui, qui eiusmodi argumentis ex aduerso dimicare audent, quando aiunt: latronem etiam in cruce vltimùm noxas eluisse, & paradisum impetrasse. Audi sodes: vna vel altera hirundo non facit Ver. Latronem quod attinet, non tam illius conuersio Baptismus fuit, quàm pœnitentia vt videre est loco cit. de vera & falsa pœnit.

Tunc enim baptizatus est, qui tunc primùm in cruce Christum confessus est.

Effica-

Efficacior illa esset pœnitentia in morte tibi, si baptismo sociata esset, hinc auctor citatus ait:

Licet veniam latro meruerit in fine. non tamen dedit baptizatis peccandi & perseuerandi auctoritatem.

Vis insuper vt ex Mantissa quoq; respondeam? Multa ibi contigere, quæ præpotens Deus in æterni gratiam filij sui accidere voluit, quæ totius humani generis Saluatorem in cruce nobilitarent, ita nempe tibi quoq; detestando peccatori etiam accidere volet? In tuã nimirum gratiam quoq; clausum tumultuabit solum, findentur saxa, latebit cælo Phœbus, & annosa è tumulis funera mundum salutabunt.

Nullus tu talis Dei filius morieris, qui perenne Mancipium Tartaro vixisti. verbo habes: solus

ille

ille homicida testis fuit Christi Maiestatis, qui socius fuit Christi doloris.

Sed vrges amplius: sacramenta legis gratiæ, quod Theologis dicitur, de attrito facere contritum, & hoc saltem medio te saluum fore promittis tibi obstinate peccator, ita vt sacramenti comitatus virtute in cælum auoles. Verùm sic tibi obuius occurso: An certò confidis eò te attritum, vt ille sufficiens dolor sit, qui sacramento sufficiens sit, sæpe vt loquuntur Theologi, dolor ille nil supernaturale complectitur, sed timere Inferos, amittere cælum ore formidas; non corde: & sæpe nescio ex quo fonte formides. Res est delicatula! Nec immerito Auctor de vera & falsa pœnit. loco cit: inter opera S. Augustini ait de illis qui

qui funera futuri, Ecclesiæ sacramentis muniri volunt:

Fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non præsumimus, quod bene hinc exit, si securus hinc exit, ego nescio: pœnitentiam dare possumus, securitatem non.

Si deniqúe te consoleris Niniuitarum Resipiscentiâ, qui timore quadraginta dierum inducijs ne perirent ad Dei gratiam pertigerunt. Pari tu quoque modo resipisce cum ijs, & habebis quo propitium tibi speres Deum, moneo tamen Niniuitas ipsos, vt ex cap. 1. Nahum videre est apud Cornelium de Lapide, recidiuos tandem, & in pristina redeuntes peccata, justo Dei judicio perijsse, & Chaldæorum manibus ac imperio contraditos memorari.

Noli agere, amabo, vt asinus sæpe stolidus solet, qui nullis in viâ verbe-

verberibus adigi potest, vt onus ferendo properet, sed cùm vicinum se stabulo videt. tum demum maturat, vt pabulo sit propinquior, at fustes experitur. Ita tu deses, nunquam dum viuis ad cælum festinas, tum demum in morte, vbi ad cæli atria contendendum esset approperare festinas: debentur fustes tibi, qui tam iners in vita stipes plus quam Anchora profundo mari hærens, nunquam vel sacrorum monitis Oratorum, aut Vocantis Dei nutibus à tuis sceleribus auelli voluisti.

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud Matth. 11.

Non est ad astra mollis è terris via.

Hæc eò tamen non attulerim in medium, quo timentibus Deum animis maiores inijcere timores velim:

velim. absit absit hoc, illis tantùm cum Granata, Scoto & alijs Theologis locutus fui, qui passim in ore habent: Ede, bibe, lude, post mortem nulla voluptas. Tribus vocibus cælum, si vocatur, præsto est, stultus ille, qui diu se pro cælo lacerat, quo, vno etiam suspirio ascendi potest. His dictum puta. Isa. 55. 6. Quærite Dominum, dũ inueniri potest: inuocate eum, dum prope est. Cetera eueniet, quod Gregor. affirmat.

Nunc quando Deum non vides cùm prope te est, postea videbis eum, & tunc longè est à te!

Longiùs me rapuit ficta Cordubensis illius pœnitentia, sed quia adeo frequenter Diuinum hoc sacramentum flocci habitum, velut Margarita porcis proijcitur, (Excuso hîc probos Confessarios, nec illos intelligo) & ab impio quodam

dam Antonio Cleopatrâ propinante tam friuolè sorbetur, non potui, quin sacrilegos eiusmodi homines, non homines saltem rationis suæ admonerem. Quapropter Amorrhæum hostem meum repeto, sterne illum Christiane tempori, ne te sternat, cùm supremus tibi sternitur lectulus. Habebis illud dulce verbum à Deo promissum, si amarum hunc hostem deuincas, quod Apocal. 2. 17. promissum est: (Vincenti dabo manna absconditum) quo vt melle fruaris omnem ex animo amaritudinem proscribens condona proximo injuriam,

& sic ora.

Ora-

Oratio.

DOmine IESV Christe, qui propter nos homo-factus es, vt nos ex inimicis cælestis Patris, amicos redderes, & vt diligamus inuicem inter nos, præcepisti, da nobis fraternam amplectis charitatem, vt te; & propter te, proximum vero corde diligamus, omnem iniuriam condonemus, &, vt veri Christiani tui verè filij vocari possimus. Amen.

IEBVSÆVS HELVO.

IEbusæus præsepe dicitur, quo illi notantur, qui perpetuarij quasi equi ad pabulum stant, nunquam non omne tempus glutiunt, vorant. Quo Gulæ vitium intelligitur, & est inordinatus appetitus cibi, ac potus. Excessus hic verò quinario consistere in numero potest juxta S. Gregor. & S. Th.

S. Th. 2. 2. q. 148. cùm nimirum quis supramodum lauta & pretiosa quærit, debitam quantitatem aut ciborum ac potus excedit, delectationi gustus plus æquo seruit, tempore non debito in epulas & cantharum ruit, adeoque crapulâ & comessatione se oblectat. Vnde Gulosus rectè dicitur, Gulo, & Sus.

Proin Gula, quæ in cibo ac potu consistit his maximè casibus in lethale peccatum abire potest. Primò. Si vltimum quis finem suum in hoc collocat juxta Paulum: Quorum Deus venter est, ita vt paratus sit quoduis flagitium designare, quàm cibi & potus defectum pati. Secundò. Quando ex cibi & potus appetitu præcepta conculcat, dies jeiunij non obseruat, & ciborum lautitijs, ad solu-

uendos

uendos creditores impotentem se reddit, &c. Cùm notabile corporis damnum aut morbum scienter sibi inde conciliat. Quartò. Si graui alios ex hoc scandalo afficiat. Quintò. Dùm contra naturam v. g. humanis vescitur carnibus vt Caiet. & Nauarr. annotant, nisi necessitas aut sanitas id requirat, cùm homo iam occisus inuenitur, non tamen liceret occidere propter hoc in nullo casu. Caiet. 2.2. q. 148. a. 2. Nauarr. in summ. cap. 25. n. 130.

Sextò. Quando probabiliter ex nimio potu timetur peccatum mortale, vt, qui scit multã se hinc in lasciuiam procliuem, &c. In his casibus est mortale, in alijs veniale vt plurimum est, vt communiter Theologi docent, quibuscum hæc asserimus. Plura videre licet

apud

apud Tolet. de 7. peccat. cap. 60.

Sanè quàm graue sit, rationis vsu sponte se priuare, nemini non patet.

Quæres quale delictum sit, græco more bibere, & mero certare germanicè zutrincken? Respondeo, si amicè quis alterum poculo inuitet, ita vt tamen respondere liberum sit, an & quantum velit, neque vrgeas; hoc per se loquendo non noxium esse, sed ita semet inuitare mero donec ebrietas sequatur, lethiferum hoc peccatum esse. Idem dicendum de ijs, qui studio alios inebriant, & vino deponunt. Maiorem verò huic dogmati lucem addere necesse non est; si enim seipsum inebriare mortiferum est, sic etiam deponere alterum, lethale erit. Audiamus sanctos Patres.

Pota-

Potatione procedente, ait Basil. hom. in ebr. eò venitur, vt de augenda hac insaniâ certent, & de ebrietate per ambitionem contendant. Cuius auctorem legis diabolum habent, victoria verò præmium peccatum. Nã qui plus hauserit meri laudatur, is victoriam refert, atq; ita gloriam ignominiâ captant.

Accedit S. Ambros (de Elia & Ieiun.) ad amussim hanc stultitiã præsentiens.

Primò, inquit, minoribus poculis velut velitari pugnâ praluditur, &c. ergo vbi recalere cœperint, poscunt maiora pocula, feruor inardescit. Deinde procedente potu longius contentiones diuersæ, & magna certamina quis bibendo præcellat: Nota grauis si quis se excusat, &c. at vbi consummata fuerint epula, putes iam esse surgendum, tunc de integro potum instaurant suum, & cùm consummauerint, tunc inchoare se dicunt: tunc deferuntur phiala, tunc

maximè

maximi crateres, quasi instrumenta bellorum. Ac ne immoderatum hoc arbitreris mensura proponitur, certatur sub iudice, sub lege decernitur. Agnosbetes illic furor est, stipendium debilitas, victoria præmium culpa.

Et idem S. Pater c. 14 monet.

Nec vos excusamini, qui vocatis vt amicos, emittitis vt inimicos, quãto melius in terram tua vina fudisses? Quid te delectant damna, sine gratia? rogas ad iucunditatem, cogis ad mortem, inuitas ad prandium efferre vis ad sepulchrum, cibos promittis, tormenta irrogas, vina prætendis, venena suffundis.

Nè pluribus te differam amice Lector, inuito te ad S. Augustinum serm 231. & 232. de Temp. à quo amplius hæc insania depingitur. Sed quid de illo iam more dicam, quo salutí Cæsaris, Regum, Principum, aut aliorum sanitati libatur?

tur? Patet responsum ex eo, quòd stolidum sit ob alterius salutem, si plusculum te inuitas, vt altero manè Festum diem Capite dolentium celebres, & quid refert, si hoc te modo inebries, & cum inepta ratione, rationis expers fias ac te gulæ peccato obstringas; vt pro aliorum salute, tuam salutem perdas. Non petunt principes, vt pro illis ad Inferos descendas cùm improbè bibis, vt in Phlegethonte natare debeas. Omne nimium vertitur in vitium, si res in medio stat, mos hic non adeo carpendus esset, sed quia pro salute alterius tantùm libas, vt te hominem amplius esse nescias an canem, facilè discis te hîc interdum lethalis noxæ reum fieri posse. Rectius egit quondam Religiosus quidam Ratisponę ad D. Emerami Abbas, qui cùm

vrgeretur, vt Cæsaris sanitati libaret maius poculum, dixit: satius esse Cæsari, si pro ipsius sanitate Orationem Dominicam percurreret. Inaudijt hoc Imperator, mireque placuit pijssimi Abbatis dictum, quòd precibus magis, quàm poculis respondere vellet.

Rogas insuper, quî scire possis, verè te ebrium fuisse? audi, dum

clarum manè fenestras
Intrat, & angustas extendit lumine rimas,

Expergiscaris, ignoras quid hesterna die dixeris, egeris, & quomodo domum veneris, aut lecto concesseris. Præterea quando ea patrasti, quæ, si sobrius fuisses, nunquam cogitasses. Sed altiores hac de re quæstiones Lessio relinquimus l. 4. de Iure & Iust. c. 3. dub. 3. §. 27.

I. Omnia

I. Omnibus ergo modis Iebusæus hic trucidandus est. Cogita, quàm hoc pudendum sit, non in Christiano tantùm, sed & homine crimen. Inspice Poëtas, quid de illo canant.

Quid non ebrietas designat? operta recludit,
Spes iubet esse ratas, in prælia trudit inermem, &c. Horat.
Nempe inamarescunt epulæ sine fine petitæ.
Illusique pedes vitiosum ferre recusant Corpus.

Ipsis etiam hodie Germanis vitiũ hoc Sarcasmis verberatur eiusmodi: Vbi regnat Bibere, tunc perditur & Credere. Potator improbus Lunam superat, dum in dies ebrius est, cùm Luna tantùm semel in mense plena sit. Amicum ad cœnam vocas, & stultum remittis domum; plures in vitris, quàm in

mari pereunt. Sanitatis pocula Pharmacopolarũ ſunt lucra. Multum vinum, multum in corpore acetum creat. Ebrius nil rectius facit, quàm ſi in lutum cadat, tunc ſe porcum fatetur. Vis videre mores guloſi potoris? Cerne mancipium ſimile, quale Spartani ſuis olim liberis propoſuére, quos aliquando eſſe ebrios noluerunt.

Cerne Iconiſmum eiuſmodi Nepotis apud Angelinum Gazæum noſtrum in pijs Hilarijs, quo ſtratagemate, quod hîc non addimus, Mulier Belgica ſuum exceperit maritum, reliqua tibi legenda tranſmitto.

Erat huic Maritus improbiſſimus potor
(Ab, orbe nato ſi fuit) dies totos
Profundiorum municeps popinarum,
Et integrarum noctium terebrator.

Exhau-

Exhauriendis cantharis, cululliſq́
Renuntiari potuit optimo iure
Biberius Imperator, aut Mero Cõſul.
Crumena nummis ſi fuiſſet exſucca,
Et nactus eſſet hoſpitam Charontæ,
Tabernâ abibat obſitus probè probris,
Expalliatus ſæpe, & exgaleritus:
Dicamne paucis? deſtitutus à mente,
(Quam vina fors aduſta, fors potens zythum
Cerebra viſens delicata, turbarat)
Domum redibat, (ſi redire ſit paſſus
Labi, & relabi quolibet) luto bello
Frequenter aures delibatus ad ſummas,
Vtrimq́ muris hinc & hinc repercuſſus,
Subinde muros vulnerabat impactu.
Sed quid domi? & quid non domi? hîc dabat peſſum.
Quicquid familia fortè, quicquid vxoris
Habere potuit obuium: Nihil tutũ.
Va lancibusq́, ſedibusq́, menſisq́.
Miſeranda proles, verberum metu preſſa,

Frequens profundo delitebat in furno.
Quid faceret uxor? obsecrauerat, flerat,
Iurgata fuerat, inuolarat in barbã,
Nil lacrimæ olli, nil preces, nihil dire,
Nil profuêre iurgia, & graues iræ.
Nimis hunc tenaci Bacchus alligat uisco,
Et combibonum nodus, insciis rumpi.
Contusa quoties illa mole pugnorum,
Oculis & ore liuida, exos, elumbis,
Vlulansq; medium pronotarat in ucum,
Opemq; ciues clamitans, opem ciues;
Quid faceret? audax comminiscitur factum.
Lecto iacebat ille sesqui sopitus,
Quem nec tonitrua suscitare millena,
Vix ipse posset orbis axe dilapsus, &c.

Egregia Edonis imago hæc est, quam Gazæus, alter in scazonte zeuxis

zeuxis bellè, perbellè adumbrauit: addamus huic & accinamus ex Germanico in Latinum huic Iebusæo traductum poema.

Quacumq; Phœbus igneas agit retas,
Et alma lucis plaustra dispẽsat sua,
Hac fulminatæ matris ebrius puer,
Liber vagatur, nec vacillantes pedes
Nutante ventris mole desperant viã.
Nec Gange iam se iactat oppresso potens
Indisq; solùm gentibus Thyrsum quatit.
Nobis Tyrannus instat, & iugũ graue
Molitur orbis publicus mundi latro.
Vidi natantes dulcis in meri salo
Animas bibaces splẽdidâ vectas rate,
Pictis phaselis, vitreis carchesiis,
Vnũ celeusma; Viue Pater Euã fuit,
Modimperator impera, Euã impera;
Facessat hinc rectoris, & nautæ manus,
Vbi sponte fluctuamus, & mergi iuuat.
Sed fracta postquã nauis allisu leui

Fragilem nimis se fassa, nec tabulã
dedit,
Tunc helluonũ misera prodijt cohors:
Hem quæ virorum monstra, quæ vi-
deo probra?
Fuliginosis nubibus fumat caput,
Aciem cerebri crudus obtũdit vapor,
Ignaua, vilis infimam verrens hu-
mum,
Delira mens, nec muneris memor sui
Obliuiosæ creditur Lethes aquis
Se proluisse, dũ nimio inundat mero,
Pigras molestus concutit manus tre-
mor,
Fessæ podagrâ poplitum bases labant,
Fœdam cloacam fauciũ palus vomit.
Meram officinæ sanguinis cudunt
aquam,
Buccæ tumentes spiritum vitæ viam
Pulmonum ab arctis follibus mordi-
cum trahunt.
Oculos rubedo, pustulæ notant genas,
In frontis imo cupreus nasus sedet,
Venter tumultus viscerum, & rixas
dolet,
Lateralapilli, saxa vesicas grauãt.

Quin

Quin & cululli diuites sorbẽt lares,
Villas, agrosq; pertinax vorat gula,
Adeo supellex curta seruatur domi,
Vt ad silentes horridæ ripas stygis
Frustra rogaret inferus naulum senex. &c.
Cauete ciues noxij malum Dei,
Nisi laua mens est. Mœnadum quando greges
Insanientũm sæuus incessit furor
Baccharum ad aras victima caduæ viri:
Nullus peribit suauiter, sic qui perit.

Sisto poema, ipse sibi satis heluo poëta est, dum omnibus carmen factus, cuiusuis Tityri fistulæ materiam præbet.

II. Accedant iam diuini voluminis Oracula, quæ sic loquuntur.

Noli esse in conuiuijs potatorum, nec in commessationibus eorum, &c. Prouerb. 23. 20.

Sicut factum est in diebus Noe, &c. edebant & bibebant vsq; in diem, qua intrauit Noe in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes. Luc. 17. 27.

Insuper Deut. 21. 20. precipitur vt filius contumax, epulis & crapula vacans, lapidibus obruatur.

Sat verò ista sint, abunde est, vnde plura te sacer Textus doceat.

III. Auscultemus sanctis quoque Patribus, quos si prolixius legere vis, Basilium habes Homil. in ebriet. Chrysost. homil. contra luxum, Augustinum serm. 231. de Temp.

In compendio hîc audi S. Ambrosium lib. de Elia & Jeiun. c. 16.

Ebrietas fomentum libidinis, ebrietas incentiuum insaniæ, ebrietas venenum insipientiæ, &c.

Chrysost ad pop ant hom. 1. Vbi ebrietas, ibi diabolus; vbi turpia verba, vbi saturitas, illic damones choreas agunt.

Insu-

Insuper homil. 58. in Matth. ait.

Quanto melior asinus ebrioso est, quã-to canis præstantior? Omnes certè, bestiæ cùm bibunt, aut comedunt, & ultra quàm satis est, non sumunt, etiamsi mille homines cogerent.

Perpende vltra quas sępe catastrophes, quas Tragœdias gula & ebrietas dederint. prô quam cloacam affert Augustinus serm. 33. ad frat. in Eremo. vbi in scelus hoc, quàm prolixè detonet; plura leges.

Accidit, inquit, hodie terribilis casus, &c. Filium habebat vt scitis (Cyrillus) & eum vnicum possidebat, & quia vnicus erat, eum superfluè diligebat & supra Deum, &c. is, nempe filius, hodie ebrietatem perpessus, matrem pragnantem nequiter oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores vulneraisit ad mortem. Hactenus Augustinus.

En quale monstrum ebrietas pe-

perit, quale vix in Acheronte videris. Vah Epicuri de grege porcum!

Similem crapulæ prolem quoque affert Th. Cantiprat. l. 2. apum. c. 56.

Multam iam noctem combibonès aliqui in popina sudabāt, cùm inter plura etiam sermonum themata de imortalitate animæ quæstio agitabatur, carpebat vnus concionatores, quòd passim clamarēt, animas hominum æternas, nulli immortalitati subiacere. Sistit se quam primum Orcus, & poculorum socius humano schemate assidere incipit, & qui vos sermones, inquit, detinent boni viri, edicite. De immortalitate animæ nobis quæstio est, ait ille Epicureus: & Hercle animam ego meam cuiuis viliori, quàm licebitur pretio

pretio diuenderem, lubensque id lucri omne opiparæ huic mensæ consecrarem. Bellè habet, ait Orcus, si placet, hos in numerato nummos accipe, tuaque mihi anima in merce sit. Placet alteri conditio, numeratur hospiti pretium vt largius affundat, fit risus, & amplioribus sub cæna poculis certatur. Iam in tuto videbantur omnia. & dum prodigus ille epulo venditor inter crateres exultat, satur tandem domum redire vel cespitare potius contendit, cùm personatus mercator: habeo, inquit, adhuc quod quæram Oedipos meos. Annon emptori fas est, equũ simul & frænum abducere? Imò maximè, aiunt illi, cùm illico Cerberus animam hominis cum corpore in sublime raptam, ad æternum stygis domicilium abducit.

Ita

Ita est: *Potatur, estur, luditur, peritur, interitur.*

Bene dixit Chrysostomus: vbi ebrietas, ibi diabolus.

Non omittamus factum lugubre quod Ioan. Benedictus lib. 3. summæ cap. 7. in append. recenset. Anno 1583. circiter.

Vir erat, immanis gluto, qualem ferè eundem antea ex Gazæo depinximus. Is quodam die affixus popinæ cùm animam quoq; deberet, poculis tamen impensius indulsit. Adest præsto misella vxor rogat, obsecrat vt liberis parcat, non esse domi quod vel muri sufficeret in obsonium, cùm interea ille famentes relinquens domi filios, Baccho litaret. Accensus quamprimùm heluo feminam adeo fustibus deuerberat, vt se leuare solo vix posset. Pugnis ergo

satur

latur esuriens muliercula domum volat, quam exsucci & exsangues fame liberi adoriuntur, panem clamant, panem. Vidit illa suorum pignorum torrida esurie corpuscula, & recentibus adhuc à viro plagis calescens, immane facinus audet: cultrum arripit, & eheu inquit filioli mei, faxo ego nulla vos porro fames vexet, annonam vestram coctor parēs hospiti vendit, potet etiam improbus potor sanguinem vestrum, simulque ferrum vtriusque filioli in guttur defigens, vtramque prolem inaudito sacrificio Iracundiæ litat; Inde ab ipsa cæde facta ferocior, calcansque suorum exultabunda sanguinem madente cultro intrepida velut saxnm stans ebrium è propina maritum opperitur. Vix pede limen pulsat heluo, cùm illa

quam-

quamprimùm parata ad rem ſica; ades tandē, inquit, infamis ſpongia, & turpis nepos, latro filiorum, eſto ſocius funeris tuorum natorum, quos fame mactaſti, ſimulq; adacto in collum ferro illi ceruicem auellit. Equidem non laudandum eſt huius Pſeudoludithæ facinus, ſed quid ebrietas deſignet lugubri hoc ſpectaculo palàm facere volebamus. Inde correpta à lictoribus vxor, intrepido in lurcones ſermone diſerta, magiſtratus juſſu debito mortem ſupplicio obiuit.

Non fruſtra ſanè decreta Bauariæ in eiuſmodi lurcones acerbius quid ſtatuere jubent. Hanc in rem quoq́ue Maximilianus Imperator in comitijs Auguſtanis Anno 1500. & Carolus V. Magiſtratibus curam ob ſcelus hoc adhiberi

beri ſupremam voluit, vide Adamum Conzen lib. 3. polit. cap. 13. Plura quoq; de hoc ſcelere affert Hippolytus Guarinomius, in Abominationibus humani generis.

V. Optimum ergo huic malo remedium eſt, vt tuus tibi Dominus & Imperator ſis, hinc alij ſæpe vt è Bacchi vinculis ſe eximant, vinum eiurant, & pocula, Acheloo ſe conſecrant, alij certam ad diætam potum reſtringunt, alij popinas fugiunt, combibones deuitant, paruoque contenti cantharo domi, valentes & ſani de menſa ſurgunt. Vis ergo Iebuſæum ſternere, Achillem te præſta, & habebis illud, quod ſperes.

Vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei mei. Apoc. 2.

Ora-

Oratio.

DOmine IESV Christe, qui cùm sis Deus noster, cibus etiam noster in sacrosancto Eucharistiæ mysterio fieri dignatus es: & in cruce: sitio, exclamasti, viles carnis concupiscentias in nobis enerua, vt eam frugaliter reficientes, & vt tabernaculum tuum virtute abstinentiæ mundantes, ad frequentiorem panis cælestis dulcissimam receptionem disponamur. Amen.

IRATVS HEVAEVS.

HEuæus dicitur Lapides colligens, quo Iracundum intelligimus hominem, qui vel pauxillum sæpe læsus, statim in fermento jacet, lapides, cultros, pugnos, enses circumspicit, quibus feriat, totus furit, totus calet, quasi in sulphure lauisset, totus ex nuce fit, totus ex cortice crepat, vt

nux

nux depilata erumpit. Quales sunt illi, de quibus Auiceña docet: (Homines cholerici non sunt integri homines.) Tales extra frixorium statim toti cum castanea saltant, quorum linguæ manus annexæ sunt, dentibus molitorem, dexterâ carnificem minaces, nihil illis sanum, nihil illis homine dignum agitur, quibus illud consilium cum veneno optimũ, quod pessimum est.

Ora tument irâ, nigrescunt sanguine venæ,
Lumina Gorgonio sauius angue micant. Ouid.

Sed plures Iracundiæ colores poëtis relinquimus; suus enim ipse sibi iratus pictor est, atrambilem, pessimi coloris harmogen in supercilio circumfert, in tauri felle, ac cruore sepiæ totus natans, totus mersus.

Audia-

Audiamus quid de hoc monstro Theologi asserant.

I. Ira est appetitus vindictæ: (cũ Toleto loquar) sunt verò hæ tres huius scelerati species. Ira est appetitus vindictæ citò surgens & citò desinens. Iracundia est ira permanens. Furor est vindicta in tempus teseruata. de quibus Arist. 4. Ethic.

Quando verò quis secundum rectam rationem irasci possit, id te S. Th. docebit 2. 2. q. 158. vbi plura licebit discere, nos de irâ vt vitio agimus. Notandum verò est, quinq; maximè modis in peccatum Excandescentiam deuolui posse.

Primò. Ex parte eius, cui irascimur, cùm non est dignus illo malo, quod per iram volumus ipsi inferri.

Secun-

Secundò, Cùm, etsi dignus est malo, tamen non tanto.

Tertiò. Cùm, etsi tanto dignus sit, tamen præter ordinem inferri volumus, vt qui per seipsum mortem vult inferri occisori fratris sui: quamuis enim dignus sit, tamen non est rectus ordo talis.

Quartò. Cùm, etsi omnia ista seruentur, tamen non est debitus finis: non enim ex Iustitiæ zelo, vel amore virtutis, sed potius ex odio personæ id volumus. In his quatuor casibus ira est mortale peccatum ex genere suo; & verè est mortale, cum est materia grauis, nec deest plenus rationis consensus.

Quintò. His quatuor seruatis, puta quòd obiectum sit dignum malo, & tanto, & seruetur ordo, & finis adhuc potest esse peccatum.

tum iræ ex parte motus sensitiuæ partis, cùm est nimia perturbatio: & hoc ex se veniale est. Plura discce ex S. Th. loco cit.

Sex verò Iræ filias enumerat S. Gregor. l. 31. moral. c. 31.

Rixam, tumorem mentis, contumeliam, clamorem, indignationem, blasphemiam, de quibus singulis dicere, iam non vacat, dum breuitati studemus.

II. Heuæum ergo hunc, vt trucides diuini voluminis oraculum audi.

Verè stultum interficit iracundia. Iob 5. 2.

Qui perdis animam tuam in furore tuo. Iob 18. 4.

Et Prouerb. 15. 18. Vir iracundus prouocat rixas.

Item Ira & furor, vtraq; execrabilia sunt. Eccli 27. 33.

Omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit Iudicio, Matth. 5. 22.

Plenum

Plenius est sacer Textus eiusmodi monitis: inde ad sacros Ecclesiæ Doctores pergimus.

S. Gregor. Naz. inquit, Ira, si vehementius inflammetur, hominem de mentis gradu deijcit, &c.

Feræ potius, quàm iracundo homini cohabitandum est, ait S. Chrysost. homil. 29. ad pop.

III. Omitto plura Patrum dicta, paulò post adducenda. Fuit etiam paganis quoque ipsis fastiditum hoc crimen, quod Aristoteles in Ethicis clarè ostendit. Monet sapientissimus Plato, vt iratus suum se speculum consulat, vt, si se tam informe monstrum videat, emendet. Verum Germanis verbum est: si jrati facies cælo staret, Rustici æris pulsu tempestatem propulsare vellent. Quapropter ipse Plato si commotior fuit, dicere solitus est: nisi iratus essem, pugnis

in

in te probè dimicarem, bellè docens, nullum iræ consilium esse, neque dum calemus prudenter aliquid à nobis fieri posse. Itaque sæuos iracundiæ motus si intueri vis Basilium lege homil. 21. Chrysost. homil. 3. in Ioann. sed & S. Gregorio aures demus. 5. Mor. cap. 31.

Ira, inquit, stimulis accẽsum cor palpitat, corpus tremit, lingua se prapedit, facies igneſcit, exasperantur oculi, & nequaquam recognoſcuntur noti. Lingua quidem clamorem format, sed sensus quid loquatur, ignorat. In quo itaq; iste ab arreptitijs longè est, qui actionis suæ conscius non est?

Qualem putas esse animum, cuius externa imago tam fœda est, ait Seneca. de ira cap. 35.

IV. Perpende quantis se dãnis sæpe imergat furor, cùm pœnitere in tergo portet. Vnde Monomachia

&

& Duella, ſacris Canonibus tam exoſa Chriſtianis indigna, cælo execranda, de quibus hîc agendi locus eſſet, niſi promiſſa breuitas impediret; remitto itaq; te ad Becanum noſtrum in Manual. ad initium poſt præludia, & alios auctores.

Vt verò quemadmodum hoc ſcelus in ſe redeat videas, Ectypon habe, Auſtriæ quondam notum.

Cùm ante annos aliquot reſtituta cum Turcis pax eſſet, & exauctorati Cęſaris milites dimiſſi, fuit miles aliquis longo tempore inducem ſuum efferatus, is, quam diu coxerat iram, in dimiſſi militis tempus diſtulit, vt grauius effunderet, cognouit ducem ſuum Viennam Auſtriæ conceſſiſſe, quapropter feſtinǫ accurrit eò vt, vindicta ſe ſatiaret, cùm verò non il-

lum lateret tribunum hunc & militem juxta ac nobilem esse gladiatorem, cuius dexterâ non vnus iam Aiax ceciderat, vt animosior esset, largiori se poculo inuitauit, prius, quàm in arenam descenderet, ratus pluris hac in re furorem, quàm artem posse? Ergo animatus vino plusculum, ædes Tribuni adit, strictoque gladio hominem ad certamen proritat; adesset si quid de Alcmenæ illi sanguine restaret, manus consereret, pugnaret, nec suo nec alterius capiti & vitæ parceret, quod & ipse vellet. Prospicit de fenestra postulatus hostis, &, ni, sodes inquit, te hinc proripis vide ne ex pugno meo non vnius iam exemplo cadas. Tum miles adhuc efferatior, contumelijs, blasphemijs amplius orditur prælium. Amici ducem interea

rea retinere domi, fores occludere, dicere non tanti esse gregarium militem, cuius sanguine tãtus dux manus tingeret, interea non desistere alter, sed reposcere ducem, omnibusque in illum cauillis dimicare prius quàm ad manus ventum esset. Non contineri ergo amplius poterat tribunus, offert se irato homini, strictoque adhuc gladio monet, hortatur, rogat, vitæ suæ parceret, nisi hodie ad stygem cœnare vellet, sed acta omnia, ruere alter, omnibusque modis sanguinem sitire, quo viso dux telum recta in pectus militis volans dirigit, hominemque insanum lethali vulnere saucium, humique porrectum Orco transmittit. En Vesaniam Iracundiæ, bellum hîc cecinit, classicum cantauit, non receptui. Venit, vidit, non vicit.

Quàm hic iam miles non fuisse iratus vellet qui ita excandescens adhuc ardet certiùs.

Quam ille hinc gloriam nanciſci potuit, niſi hoc Epitaphium tali homine dignum apponi.

Hîc jacet inſanus, qui vt rectà
ad Tartara abiret,
Optauit ſano corpore poſſe
mori.

Ita hodie Monomachi multi ridentes quaſi in duellis emori volunt, vt æternum flere poſſint. Perinde hi agunt ac vrſus quondam cum leone, equo, & Tauro in Principis aula ad Palæſtram datus, qui cùm Tauri cornibus vulneratus eſſet, adeo exarſit, vt datam ſibi plagam vnguibus laceraret, vſque dum vitam ſibi exſculperet. Ita iratus in ſemet injurius nullam inde aliam fert palmam,

quàm

quàm infamiam, & crebro necem ipsam.

Si porro stuporem huius sceleris inspicere amplius cupis, Surium lege. 9. Februarij, de irato Sapricio, qui cùm Nicephoro veniam dare nollet, & Martyrij coronam perdidit, & fidem amisit. Et si interdum fortuna eiusmodi furijs supplicium differt, non longè tamen procrastinat vltor à tergo Deus, quale nostro hoc æuo factum scribit Ioann. Eusebius Nierembergius nostræ Societatis in Theopolitico suo. p. 1. l. 2. c. 27.

Anno 1630. in Valentino regno septem de Societate Iesu Religiosi sacros suscepruri ordines iter ingressi sunt, occurrit regni illius eques sclopis armatus calumnijs eos appetens quòd Gallipauum è domo sibi subduxissent,

ferreaque illos fistula quasi flagel-
lo oues domum reuocans suam,
ad villam trepidantes egit, ibi to-
tus furor explorauit vestes, si quid
fortè ibi latitaret, acerbis interim
Dei seruos verbis ac iniurijs ver-
berans magno audientium scan-
dalo. Accidit tamé vt gallipauum
domi reperiret denuo suæ, nemo
tamen defendere falso accusatos
audebat. Impunis videbatur per
aliquot dies iratus calumniator,
cùm Diuina adfuit Iustitia. Euenit
enim, vt ipso eiusdem Anni festo
S. Patris nostri Ignatij die ipso hoc
loco, quo nostros septem inuase-
rat ille, à septem sclopetarijs cir-
cumdaretur, qui septem plumbeis
eum glandibus transuerberatum
exanimarunt. En harmoniam in
numero eodem, pari instrumento,
loco & tempore. Potentissimum
sanè

sanè Diuinæ Iustitiæ in hunc furorem argumentum.

V. Vin vltra huic malo adhibere aliud medicamen? Auscultа. Athenodorus Augusto Cæsari hoc consilij dedit, nihil iratus vt decerneret nisi græci litteras Alphabeti linguâ suâ percurrisset. Ità multò maximè Christiano agendum est. Naturæ sit irasci, ait Ambrosius, hominis tamen est temperare iram. Et velut Hieron. aitc Irasci hominis est, sed iram non perficere, Christiani.

Fertur idem Augustus Imperator, vt ait Claudius Paradinus, manu annulum gestasse, cuius gemmæ insculptus erat Marinus cancer vtraque forfice papilionem retentans, qui vermis præcipitantiæ typus est, quo seipsum mone-

ret Cæsar ne ira occupatus quidpiam præcipitaret.

Discede saltem ab illo, à quo offensus es, ne multum litiga, sed velut iratus in Amanum Assuerus abi Esth. 7. v. 7.

Rex autem iratus surrexit, & de loco conuiuij introiuit in hortum arboribus consitum.

Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Gen. 4. 8.

Nihil statue dum feruet bilis, nihil vindica, nullum est consilium quod ira suadet.

Quoties ira animum inuadit, ait S. Gregor. l. 8. reg. c. 5. Mentem edoma, vince teipsum; Differ tẽpus furoris.

Sic Ambrosius, Theodosium, qui quondam in Thessalonicenses iratus nimium statuit, legem condi voluit. vt, si qui ob maleficiũ Cæsaris edicto juberentur occidi; id nonnisi post trigesimum diem

effectui

effectui daretur. Ioan Costerus in vita S. Amb.

Sanè sæpe friuolis turbamur & inanibus ait Seneca.

Cogita, cui, & cur irascaris? Noli bubalum imitari, aut Indicum Gallum, qui visâ tantùm frequenter purpurâ ridiculè excandescunt. Sic te monitum vult Seneca lib. 2. de ira cap. 30.

Quid est, inquit, iniquius, quàm secreto credere, palàm irasci? Quorumdam ipsi testes sumus: in his naturam excutiemus, voluntatemq; facientium. Puer est? ætati donetur: nescit an peccet. Pater est? aut tantùm profuit, vt illi etiam iniuria lusit: a. aut fortassis hoc ipsum meritum eius est, quo offendimur. Mulier est? errat. Iussus est? necessitati quis, nisi iniquus, succenset? lasus est? non est iniuria pati, quod prior feceris. Iudex est? Plus illius credas sententiæ, quàm tua. Rex est:

b. *Si nocentem punit, cede Iustitiæ: si innocentem, cede fortunæ. Mutum animal est, aut simile muto? imitaris illud,* c. *si iraſceris. Morbus est, aut calamitas? leuiùs transiliet ſuſtinentem. Deus est? tam perdis operã, cùm illi iraſceris, quàm cùm illum alteri precaris iratum. Bonus vir est, qui iniuriam fecit? Noli credere. Malus? noli mirari? Dabit pœnas alteri, quas debet tibi: & iam ſibi dedit,* d. *qui peccauit.*

Illuſtremus has gnomes doctiorum notis.

Pater est? a. *Inter tot beneficia, poſſit vel iniuriam vnam facere impunè.*

Rex est? b. *Ita Medea: ſi iudicas, cognoſce: ſin regnas, iube.*

Imitaris illud. c. *Impetum aſſumendo, rationem abiciendo.*

Sibi dedit. d. *Quia in ipsâ culpâ pœna est: & animus ſibi conſcius ſe torquet, vt ait Epictetus: Nemo ſine damno & pœnâ malus est.*

Verè

Verè ita est, nihil sine Numinis permissione fit, lapidem in nos proiectum cũ cane impetimus, jaculatorem omittimus.

VII. Perpende præterea, quoties tu in Deum ipsum sis injurius, qui si vindicaret illico, quoties tibi ad Inferos abeundum esset? bellè ait Ecclesiasticus cap. 28. 3.

Homo hominis reseruat iram, & à Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse, cùm caro sit, reseruat iram, & propitiationem petit à Deo? &c.

Claudat hanc rem Epictetus: si in te quis deterior sit, aut famam radat, respondè: tuos errores alios & vitia ipsi fuisse incognita, cetera habuisse plura, quæ in te vomeret, & barbam vellicaret. Reliqua huius vitij medicamina tibi quærere relinquimus supra de Li-

uore dicta. Esto ergo non tuum tibi Mancipium, sed Dominus, malus tibi eques es, qui fræno rationis cares. Irascere magis Iebusæo huic, si excandescere vis; illudque sperandum habebis munus. Apoc. 2. 11. promissum. Qui vicerit, non lædetur à morte secunda; sic euades Inferos, alteram mortem, quæ æterna est, si sustinebis injuriam, quæ temporanea est.

Oratio.

DOminæ IESV Christe, Agne mansuetissime, qui coram tondente, & occidente te obmutuisti, ac te mansuetudinis magistrum fecisti, cùm dixeras: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Matth. 11. 31. Perfice cor nostrum virtute mãsuetudinis, & voluntatem nostram in medijs iniurijs ac contumelijs dulci commiserationis affectu perfunde, vt dum iniurias remittimus.

timus. (Sicut tu clamasti in cruce: Pater dimitte illis) & pro malis bona reddimus tuæ scholæ sectatores efficiamur. Amen.

INERS HETHAEVS.

I. HEthæus in latinam linguam transfusus significat stuporem seu formidinem, illum nempe hominem, qui ad omnem virtutem trepidat, iners ac piger stupet in Diuinis rebus, quo Acedia notatur, quæ S. Thomæ 2.2. q.35. dicitur Tristitia, de bono Diuino seu spirituali. Acedia autem vox græca est ἀκηδία enim dicitur sine labore, aut sine curâ, alij vocem esse latinam autumant dictam ab acido, seu frigido qui non facile mouetur. Græcum tamen magis placet Toleto. Vide S. Th. loco cit.

Est

Est verò peccatum hoc ex genere suo mortiferum, cùm sit contra charitatẽ. hinc Paulus, Tristitia, inquit huius sæculi mortem operatur 2. Cor. 7. si non plenus rationis assensus hoc tædium comitetur veniale peccatũ est, proin etiam tale est, si ratio consentiat, materia tamen sit leuis, cùm homo non verè tristatur de bono spiritali secundùm se, sed de eo ratione alicuius circumstantiæ loci seu temporis, vt qui tristatur de jeiunio, quia tali die obseruandũ est, aut de concione tali tempore, non tamen tristatur absolutè de his, quasi nolens esse concionem, vel jeiunium, & similia, in his frequenter tantùm est veniale. Si verò Acedia est de ipso bono spirituali absolutè, & ex rationis cõsensu, tunc est mortale,

Sex

Sex verò vitij huius numerantur filiæ.

Desperatio, qua homo diffidit se supremum finem consecuturũ, quæ est mortale peccatum graue si plena ratione fiat, secus si ex motu accidat imperfecto.

Pusillanimitas est, quâ homo non audet diuina consilia, quæ perfectionis sunt, exequi, & hæc veniale est ex se.

Torpor est, quo homo se negligens omittit facere, quæ ex præcepto tenetur, & mortale est.

Malitia autem est, quâ homo odio habet ipsa bona spiritualia in se, quia vellet ea non esse: aut, qua etiam pœnitet hominem bene feciſſe, & impleuisse, quæ tenebatur facere: vel contemnit Dei beneficium, desiderando non fuisse natum, & cognouisse Christum dolen-

dolendo, &c. Et hæc est noxa mortalis.

Rancor dicitur, cui homines qui inducunt ad diuina, & spiritualia, vt Religiosi, concionatores, & alij eiusmodi, sunt fastidio illoſque auersatur: & hic dicitur veniale Toleto nisi coniungatur cum odio, quo eis malum notabile deliberatè desiderat.

Euagatio mentis est defectus Intentionis, quæ rebus spiritualibus exequendis adhibenda est: & hæc ex se veniale est, nisi cùm exigitur præcepto talis attentio, vt, in recitandis horis Canonicis, & & in audiendo sacro diebus festis. hîc enim mortale foret, si notabiliter esset negligens & culpabilis.

Plura relinquimus Theologis. Iam ad frangendum hunc porro Hethæum amplius accingimur.

II. Iner-

II. Inertia semper etiam vulgo odiosa est, & somnolentia in rebus omnibus exosa. Ignauus enim & clarus nemo simul esse potest. Ignauiæ pretium est Mendicitas. Ignauis semper feriæ..

Nimis homo nihil est, qui piger est, ait Comicus. Talem ego inter papauera cubare jubeo ad lectulũ & cubile somnij. Metamorph. vt ibi Satellitem agat stipitem, dignũ tali Deo aulicum stuporem Hethæum, qui omne affatim virtutis studium procrastinat illud cras cras semper crocitans, velut supra diximus de dilatoribus pœnitentiæ.

Cras te victurum, cras dicis Posthume semper;
Dic mihi cras istud Posthume quando venit?
Cras vines, hodie iam vines. Posthume serum est. Mart. in Epig.

Nemo

Nemo adhuc ex Inferis Posthuma misit opera typo danda.

Salomonis Vox est: qui mollis, & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis Prouerb. 18. 9. Maledictus, qui opus Dei facit negligenter Ier. 48. 10.

Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Matth 3. 10. Inutilem seruum eijcite in tenebras exteriores. Matth. 25. 30.

Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Matth. 11. 12. Vtinam frigidus esses, aut calidus, & incipiam te euomere ex ore meo. Apoc. 3. 15.

Magnum profectò tepor & Acedia malum est, ait Climacus.

Radix desperationis est ignauia, & non solùm radix, sed & nutrix eius, & mater. Nam sicut vestimentum & tineam generat, & nutrit; ita ignauia non solùm gignit ex se desperationem, sed & alit, & fouet.

Sic

Sic & Bernardus lib. 2. de consider.

Sicut in vnoquoq; opere mater inuenitur Constantia, ita vniuersa doctrina, & disciplina nouerca est negligentia.

Tales Bernardus Lucifero comparat, qui non stare coram Deo, sed sedere cupijt in monte Testamenti, in lateribus aquilonis. Isa. 14. 13.

Qui, inquit, laborem fugiunt, honorem captant: illum se nouerint imitari, qui sessionem, altitudinémque quæsiuit. Serm. de S. Benedicto.

Non dormientibus prouenit regnum cælorum, nec otio & desidia torpentibus, beatitudo æternitatis repromittitur, inquit Leo Papa.

Sed vt Bernardus clamat: Acedia proximè abest ab Inferis.

III. Volue animo quemadmodum frigidus tandem Christianus eò deuoluatur cum Saule Rege, vt Deo insuper habito etiam ad extre-

extrema scelerum volutabra se proijciat. Exemplo sunt nobis intepescentes olim Eremicolæ, imagines sunt alij & alij, qui à feruore pristino deflectentes etiam hæresis, vel saltem anima salutis naufragio periêre, quorum alij tabulam sacri pœnitentiæ adhuc ad salutis portum appulsi sunt, alij plures æternùm periuerunt, interiuerunt. Argumentum verbi mei dabo Sodalem aliquem Placentinum è cœtu Virginis Deiparæ, Annum non appono; Fuit is initio adolescens inter primos ætatis suæ spei optimæ flosculos, diuinis hic igniculis accensus, initio etiã sacræ se cuidam Religioni tradendum decreuerat adeo, vt illum omnes suspicerent Iuuenem cælo creatum, & Marianâ quoque præfecturâ dignũ haberent. Com-

mulum

missum hoc sibi munus obiuit sedulò. Sed vt lubrica sunt sæpe ingenia, paulatim à Sodalium se cœtu abduci persuasus est, pòst libellos sacros & Templa insuper habere cœpit, demum excluso omni Religionis ac Diuini cultus amore palàm sese in omnem libertatis, licentiæ, ac petulantiæ facultatem effudit. Et quod hoc in numero primum est, mulierculæ captus amoribus insanis eam deperibat modis. Euenit fortè, vt propter illius fores adolescens alius non plus de Venere, quàm Harpya cogitans innocens hac ex parte animus ambularet. Exarsit protinus ille alter procus, riualemque ratus suum hunc esse, expostulare verbis orditur. Et quid te inquit caussæ hanc in plateam portauit homo? Mea mihi Pene-

lope:

lope hîc habitat non tibi ; Iouem juro lapidem si redieris, faxo? matura fugam. Excusabat alter, nescire quidnam hîc incolarum versaretur, viam se legisse publicam, & vt alij solentes faciunt, publicis se prodeambulare plateis. Hęc verò ille alter alio accipiens ac dicebantur, stricto quamprimùm gladio innocentem in fugam abijcit. Verùm hîc, dum fugam capessit, reuocato in furorem animo etiam ipse instructus ense suo, quem vaginâ extorsit ira, vim vt vi pelleret, fugæ notam detestatus redit in prouocantem. Jamque in hostem rediens corruit supinus gladium sublimè dexterâ minatus ; furore ergo raptus alter Miscellus Pyramis irruit, ipsiusque se jacentis cuspide induens, alieno se ferro transuerberans cadendo animam

ipse

ipse suo de corpore proscribit. Vno hoc felix, quòd saltem adhuc id temporis habuit, pauxillum licet, vt animum noxis expiaret, qui vltimus illi halitus vitæ, vtrum fortunatus fuerit, supra te Lector admonuimus, vbi de pœnitentia difficili in vitæ termino disputabamus.

Hunc tepidum Iuuenem Sodalis Parthenius offert Ingolstadij excusus Anno 1621. lib. 3. cap. 3. Ac sanè pigritantes eiusmodi fatuas virgines. Matth. 25. Quid aliud olim audituras censes, quàm: Nescio vos. Dabo adhuc segnem ad cælestia ac desidem tibi hominem, quorum multi sunt, qui animam cælo in extremis inferre volunt, qui nunquam viui ad astra suspirarunt, & extremum cælo halitum petunt donare frustra, cùm

sani-

sani ac vegeti noluere, vel minimo etiam labore Olympo inhalare.

Industriæ cetera Canticorum sponsæ multum aliquando obfuit malè cauta cunctatio, quæ à cælesti sponso euocata paruulas tantùm moras trahens aiebat.

Expoliani me tunicâ meâ, quomodo induar illâ? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Cant. 5. 3.

Sed caro illi constitit hæc mora, cùm enim surgeret dilecto apertura (ille declinauerat, atq; transierat. v. 6.) Quem ad locum bellè Theodoretus effatur.

Quantùm detrimenti pigritia pariat, & quantum laboris adfert ignauis hinc perdiscamus. Dum enim excusat se sponsa, nec statim sponso ianuam vult aperire; cogitur paulò post non solùm ad ianuam usq; progredi, sed ciuitatem percurrere, & plateas circumire, atq; in custodes incidere, à quibus vulnera etiam accepit,

accepit, & vix sponsum inuenit exoptatum. Quòd si statim vocanti paruisset, hæc incommoda euitasset.

Fateor quidem Petrum ex Ioanne audientem: Dominus est Ioan 21. priusquam se in Oceanum mitteret tunicâ succinxisse se. Erat enim nudus. Sed non est quòd mirére; nota enim illius Christo celeritas erat, qui non nauigando, sed super vndas etiam ambulando ad Christum festinabat. Matth. 14. 29. Decebat solùm vt modestè suo se Domino offerret. Aliter plurimi reperiuntur, qui dum manè Campanum æs Festo die ad Templum vocat, plumarum municipes rhonchis respondent, vel vt mulieres aliquæ, (dum comuntur, & poliuntur, annus est,) donec substringant se ac ornent, diuina res iam ad vmbilicum venit.

& dum sacris se ædibus inferunt, iam perorauit concionator, Deóque iam satisfactum censent, cùm audiunt: Ite Missa est. Deo gratias. Ita nempe Christianæ sunt!

Reperiuntur alij, qui, licet sacris intersint, id solùm agunt, vt inibi fabulentur, & arcetalogos quærãt, quibuscum blaterare possint, ingressi sunt Templum, & quales Diuûm contemptores Mezentij intrarunt, peiores reuertuntur, sic multi ad sacras ædes properant, vt superbis se in vestibus ostentent, quibus meritò Chrysostomus occinat 1. ad Tim. 2. Homil 8.

An saltatura ad Ecclesiam pergis? nunquid hîc nuptias, & lasciuia oblectamenta conquiris! Numve tui spectaculũ prabeas aduenisti? Num tibi nunc instruendus est thalamus? Non iste supplicis est Habitus, &c.

Acces-

Acceßiſti vt Deum pro peccatis tuis deprecerìs, vt cum gemitu & lacrimis veniam petas, &c. lege S. Chryſoſt.

Foris laſciuos canes! pudet dicere multos in templis illa agere, quæ probi etiam in haris non auderent cogitare. Quid mirum, ſi inter hæc bella tot ſacratæ Deo ædes in buſto jaceant, quibus ſæpe ab improbis Veneri litatum fuit, vbi magis Amaſias adorarunt, quàm Deum.

Audiamus Walfridum lib. de rebus Eccleſiaſticis cap 13. ita inſonantem.

Propter peccata hominum (exemplum affert de filijs Heli) loca ſacra à Deo negligi teſtis eſt Arca capta, Templum toties euerſum & profanatũ, multa Chriſtianorum Eccleſia nunc à barbaris vaſtata vel ſubuerſa fulminibus deſolata, terra motibus diruta.

Quid sacratius Ezechielis Templo? cap. 9. 6.

Nihilominus iubet Deus. (A sanctuario meo incipite, contaminate domum, & implete altaria interfectis.) Vbi D. ait Hieron. Nec vlla Templi Religio: quia offenso Religionis Deo, contaminata sunt Omnia: vt, vnde peccatum, inde iudicium fit.

Quid mirum est, si sacratæ Deo ædes ab hostibus vastentur, quæ ab improbis sæpe latronum spelunçę fiunt, quàm multus ibi superbus est Gergezæus, qui qualis intrat, talis exit, quot cupidi frequenter Chananæi, quot petulantes Pherezæi, Amorrhæi inuidi, ebrij Iebusæi, Iracundi Heuæi, torpentes Hethæi, quorum frigidis precibus fulmina magis, quàm rorem Deus debeat, dum templa polluunt magis, profanant, & exaugurant, quàm

quàm consecrant? Herostrati impiissimi, quales hodieque viuunt plurimi, vnde iratum Numen tam optatam nobis pacem tamdiu inuidet, hodieque videtur negare.

Quot porro sunt, qui vix semel in anno templi limina salutant, vt concionatorem audiant, dum res diuina fit, popinas circumeunt, in siluis vagantur, columbarijs & nugis adhærent. Non audiet hos olim inertes Deus, qui audire illum noluerunt. Verè illud verum illis accidet quod de ruricola quodam Iacobus de Vitriaco refert. Adduci is nunquam potuit, vt Ecclesiasten pro suggestu audiret, qui cùm mortuus esset, templo illatus est, cùm ergo sacerdos eius Manibus sacrum ordiretur, imago crucefixi manibus à cruce retractis cœpit aures obturare tremen-

do omnium spectaculo. Quare Mysta cui flagitiosi hominis pertinacia non incognita erat, ad populum versus, En, inquit, non audire vult preces nostras iratum Numen pro hoc peccatore, qui omnibus etiam Christi præconibus aures negauit, actum est, ardet sceleratus. æternùm damnatus. Quo dicto omnes è tẽplo digressi sunt, impiumque cadauer sepulturâ asini in agro tumulatum est; vt qui deses asellus vixerat, etiam mortuus perinde tale sepulchrum inueniret.

IV. Sed, ne prolixior sim, plura si vis de hoc vitio Cassianum lege coll. 6. c. 17. & alios.

Vetus nobis Germanorum cordi sit adagium: laborandum est nobis quasi æternum victuris, & ita probè viuendum, quasi hodie moriturus.

Si

Si ergo ad Christum peruenire volumus, pigritādum nobis Christianis non est, quam in rem eleganter Bernardus ait: Epist. 253. ad Abbatem Garinum.

Ipse hominis, seculiq; auctor quamdiu in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est, nunquam stetit. Et quid teste scriptura? Pertransiit benefaciendo, & sanando omnes? Pertransiit ergo sicut non infructuosè, sic non remissè, non pigrè, non lento gressu, &c. Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. Et quid prodest Christum sequi si non contingat consequi? Ita Paulus aiebat: sic curritе, vt comprehendatis. Ibi tu Christiane fige tui cursus, profectusq; metam, vbi Christus posuit suam, &c.

Male ergo serue ac piger noli talenta à Deo data in vecordiæ sudario reponere, meditare nouissima tua, contemplare alios, qui

tanto ad cælum labore contendunt, de quorum virtute nec dipondium habes. Expergiſcere tandem, & ſocordiam tuam è pectore proſcribe. Hethæum hunc jacendo non viceris, dum jacet miles jam victus eſt, Chriſtianum te vt Imperatorem oportet ſtātem mori. Experimento probatum eſt, acediæ impugnationem, non declinando fugiendam, ſed reſiſtendo ſuperandam, ait Caſſianus lib. 10. Inſtit. cap. vlt. Sin Victor euades; habebis illud, quod ſperes. Apoc. 3. 21.

Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum Patre meo in throno eius. Qui habet aurem audiat.

Oratio.

DOmine IEVV Chriſte, qui proficiebas ſapientia, ætate, & gratiâ apud Deum, & homines, vt in dies maiora

iora sapientiæ indicia demonstrares, concede nobis feruoris virtutem, vt vitia extinguentes, virtuti impensiùs studeamus omnem negligentiam ab obsequio tuo repellentes, vt seduli operarij pro calo instanter laboremus, ad mortem vsq; perseuerantes in virtutum profectu, quo illud audiamus aliquando verbum: Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Amen.

EPILOGVS OPVSCVLI HVIVS.

I. AD extremum, vt concludam: Finis cuiusque belli, pax est.

Pacis intentione, ait Augustinus lib. 19. de ciuit. c. 12. geruntur & bella, ac his etiam, qui virtutem bellicam student exercere imperando atque pugnando. Vnde pacem constat belli esse optabilem finem. Omnis enim homo etiam belligerando pacem requirit, nemo autem bellum pacificando.

Jsta ergo assequendæ pacis viâ est, si eiusmodi hostes penitus extinguamus. Dirumpamus vincula eorum, & proijciamus a nobis jugum ipsorum. Psal. 2. Quia verò Victoria non statim ob oculos versatur, nonnulla nobis indicia apponenda sunt, quæ nobis parti triumphi solatio esse possunt.

Victæ symbolum superbiæ est, si à te nihil nisi mala & peccata venire agnoscas. dignitates non amplius ambias & nesciri potiùs ames, patienter injurias toleres, humanis oculis tua bona opera subtrahas, inter laudes erubescas, viliori munere contentus viuas, pretiosas vestes oderis, & similia. Auaritiæ expugnatę augurium est, Eleemosynis studere, diuitijs animum non apponere, nec provictu anxiũ nimis esse; prostratæ quoq; lasci-

lasciuiæ argumentum est, si stimulos carnis sentias ægrè, in cælum clamans: Infelix ego homo quis me liberabit de corpore mortis huius? Rom. 7. 24. si eos indies debilitari experiaris. si facile tibi sit resistere his telis ac etiam præuenire, castimoniam ames, sensuum portas obseres, venustas intueri formas recuses, & quamuis huius sceleris occasionem velut viperam detesteris.

Inuidiæ verò deuictæ insigne est, de aliorum bonâ gaudere Fortunâ, tristari malâ, solari illos, juuare, opitulari, cauere à detractione, defectus aliorum abscondere.

Gulæ autem excisæ indicia sunt, extra metas necessitatis in cibo & potu ampliùs non rapi. Vt Augustinus timuit 10. conf. c. 31. cùm ait;

Non ego immunditiam obsonij timeo
sed immunditiam cupiditatis.

Alimenta sumere vt medicamenta, superfluis, & delicatis non affici, contentum esse frugali cæna, non distendere ventrem cibo, sed placare.

Subactæ Iracundiæ signa sunt, externos cohibere motus: Turbatus sum, ait Dauid, & non sum locutus Psal. 76. homine indignũ odisse hoc vitium, in bono malum vincere, iram ratione præuenire, excusare aliorum delicta, & quæ his paria sunt.

Acediæ tandem superatæ character & nota est, peccata etiam leuiora horrere, agilem & promptum ad Diuina volare, consortia tepidorum effugere, magnis ausibus ad maiorem in virtute perfectionem eniti. Hæc & similia in

te

te Indicia si deprēdas, habes quod in Domino gloriari possis. Noli tamen vnâ clarus victoriâ securius adhuc dormire, nec pugnam desistere, repetent te sæpiùs arma hostium, obsequere monenti Bernardo. Serm. 58. in Cant.

Credite mihi, inquit, & putata repullulant, & effugata redeunt, & reaccenduntur extincta, & sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse, sæpe putandum est, imò, si fieri possit semper, quia semper quod putari oporteat, si non dissimulas, inuenis.

Quantumlibet in hoc tempore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magis suppressa. Velis, nolis, intra tuos fines habitat Iebusæus subiugari potest, sed non exterminari.

Hoc Bernardo eò effatus est, quasi putet scelerum radices extingui non posse, sed quia vitiorum extincto-

tinctorum scintillæ sæpe latent, fieri facilè posse censet, vt reuiuiscant; vnde si cautus non sis etiam semiuiuus hostis, nocere potest, vt ex suo se busto nequior phœnix animare denuo audeat. Non ergo contentus sis oportet, vt hoc opusculum perlegas, sed practicè, vt loquimur, illo vtaris, quemadmodum, si quis regionem redigere in potestatem velit, contentus non est, vt in tabulis Geographicis videat qua ratione vrbes faciat suas, sed militem applicat, irrumpit, expugnat. Remedia ergo hęc dum oculis cepimus, cordi inserenda sunt, à corde in opus, vt ruant, decet. Ita Augustinus nitebatur. Audierat is: Tolle lege, Tolle lege; sustulit, legit, capulo manum adhibuit, pugnauit in scelera, venit, vidit, vicit. lib. 8. conf.

conf. c. 6. 7. 8. Non sufficit arcũ tendere, sed ferire. Multa velle, & non facere, nunquam est triumphare.

Pugnandum esse tibi Christiane Chrysostomus monet Homil. 62. ad pop. Pulchrè hoc poemate testatus est, Magnus ille Heros tum temporis Baro de Schvvarzenberg nobis in Latinum transfuso, fuit miles hic olim in hostem ferox, sed & in vitia ferocior. Is illius est carminis ferè sensus.

Fac age qui celsam defixus in athere mentem
Altius orbe leuas, humilisq; crepidine terræ
Impatiens cogi, monitor te strenuus, urges
Plus vltra proferre pedẽ, superumq; beatas
Affectare domos, & nostris denique functum
Casibus, in summâ non imum dicier aulâ.

Aude

Aude aliquid cælo dignum, nec ſſe-
gniter inſta,
Quidquid agis. Lucri pretium la-
bor indicat; abſque
Magnanimo ſudore nihil ſua profe-
ret ætas
Fortibus acta animis, neq; molli dex-
tera tantùm
Suſtentata ſinu plauſum feret. O-
mnia virtus
Magna, ſibi duris eſſabricat inſtru-
mentis.
Sed tibi commendat vecors
ignauia nomen.
Dulce voluptatis, curſum iubet in-
ter ineptas
Siſtere delicias, vbi per compendia
vaſtum
Menſa teres Calum, referunt & ſi-
dera lances,
Nec circumdeſunt errantia pocla
Planeta,
Paſtoresq; Dij ſaltusq; iociq; leuiſq;
Oda lyra, tum cruda Venus, tum ce-
tera tali
Congrua Zodiaco, quo hic totus con-
ſtet Olympus. O ca-

O caue! particulam quisquis reli-
quam super alba
Mentis habes, methodum hanc vita
ne crede beata;
Sordida quam gratis balathronum
uania rectam
Indigitat, cumq; Alcinois pulchram
Scarabæi
Patre fimo madidi circum præsepia
mussant.
Tolle animos dilecte Deo, ca-
pulumq; prehende;
Hostis habet muros: pugnandum est.
Cernis vt alto
Iacta situ rutilet, quam dudum su-
spicis arcem
Natalem superum, cupidusq; acce-
dere tentas?
Scilicet hoc opus est generosi militis; istam
duntaxat violentus habet. Pugna
ergo, quid hæres;
Incipe sis: Paulúmque ducem iam
tertia cali
Mœnia transgressum clamantem
interritus audi;

State,

State, ait, ô fratres cincturi fortiter arma
Arma viris ignota Laconibus, atq; Pelasgis
Stringite, presentiq; recens inuenta duello
Lemnius, ignito non qualia cudit in antro,
Artifices q; fabri: sine teli ac arietis vsu
Innocuas glomerate preces, ieiunia corpus
Extenuent, vigilemq; leuent insomnia mentem,
Miles, te crede duci, iussa arma capesse;
Sic agilis centena breui, sublimis Olympi
Mœnia transilies, nullo indignante Quirino. &c.

Sed vltimam cum Paulo manum impono 2. Tim. 47. quo cum pugna strenuus illi comes bene etiam dixeris:

Bonum certamen certaui, cursum consum-

consummaui, fidem seruaui. in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Iudex; non solùm autem mihi, sed & ijs, qui diligunt aduentum eius.

Sic Timotheo Paulus lampada tradidit, & omnibus cum illo Christianis. Viuite fortes.

Fortiaq; aduersis opponite pectora rebus. Horat.

Nemo adhuc timidus, aut iners vnquam Trophæum statuit.

Esto ergo fortis Christiane, non quales improbi solent, sed quod justi assolent.

Reproborum fortitudo est, ait S. Gregor. 7. Moral. transitoria sine cessatione diligere: contra flagella conditoris insensibiliter perdurare, ab amore rerum temporalium, nec ex aduersitate quiescere, ad inanem gloriam etiam vita detrimento peruenire, malitia augmenta exquirere bonorum vitam non solùm verbis, ac moribus, sed

sed etiam gladijs impugnare, in semetipsis spem ponere, iniquitatem quotidie sine vllo desiderij defectu perpetrare. Fortitudo autem iustorum est carnem vincere, propriis voluntatibus contraire, delectationem vitæ præsentis extinguere huius mundi aspera pro æternis præmijs amare, prosperitatis blandimenta contemnere, aduersitatis metum in corde superare.

Plura adhuc de huiusmodi gentibus sternendis dicenda essent, quorum tamen opinor catalogum, Lector, à me vt spero, non potes, si memineris me non volumen, sed compendium promisisse.

OMNIA Ad MAIOREM DEI, DEIPARÆQVE VIRGINIS MARIÆ HONOREM ET GLORIAM.

INDI.

INDICVLVS.

ACcedia. fol. 3. 5. 223. Quale peccatum. 224.

Acediæ filiæ. 225. Eius descriptio. 227. Historia 230.

Ambitio. fol. 12. 23.

Auaritia. 76. Historia. 84. 86. 91. Descriptio 81. Quale peccatum. 78. Remedia 94.

Confessio sacrilega. 90. 91. 138. 157.

Consuetudo peccati. 116. 170.

Contritionis veræ requisita non sunt semper facilia. 163. 167. 169. & seqq.

Diuites non domini diuitiarum. 95.

Duella. 211.

Ebrietas. 181. Græco more bibere. 184. Quale peccatum. 182. Alios inebriare. 184. In alterius sanitatem bibere. 186. Signa ebrietatis. 188. Descriptio. 189. & seqq. Historia 197. 198. 200. Remedia 203.

Eleemosyna. 96. 97.

Feminarum vestes. 53.

Gula. 181. quando peccatum. 182.

Humilitas. 42.


Inuidia. 132. Historia. 138. Descriptio. 133. Remedia. 137.
Ira. 204. Descriptio. 205 Quando graue peccatum. 207. filiæ iræ. 208. Historia. 211. 215. Remedia. 217.
Libido. 100. Historia 110. 111. 116. 125. Apologus 108. species. 101. Descriptio. 106. Remedia. 121.
Mundus fallax. 47.
Pigritia. Vide Acedia.
Pœnitentiæ dilatio. 142. Historia. 150. 157. Vide etiam Contritio. Item 174.
Pseudopolitici. 13.
Superbia. 10. 19. Remedia. 23. Descriptio 29. 63. quando peccatum. 11. 17. Gradus superbiæ. 20. Historia. 30. 69. 73. 59. Fabula. 60.
Subditorum vexatio. 17.
Vestium luxus. 50. Vide superbia.


Societ. Jesu Paderb. 1657.

ERRA-

ERRATA *correcta.*

Mendum.	Emendandum.	Folio.	Versu.
Orientalem.	Lege Orientem.	16.	8.
Intereade.	l. Interea de.	4.	12.
Cœnaturus.	l. Cœnaturo.	6.	2.
Lucianus.	l. Lucanus.	25.	3.
Dicunt.	l. dicant.	64.	vlt.
Sumus.	l. simus.	66.	19.
spoleti.	l. Spoleti.	68.	vlt.
Qua.	l. quo.	71.	11.
Tè ne.	l. tene.	79.	8.
Exra.	l. Extra.	96.	16.
Exaagurare.	l. exaugurare.	128.	2.
Si.	l. sit	162.	6.
Nullo.	l. vllo.	183.	12.
homini.	l. homine.	189.	4.
mordicum.	l. modicum.	194.	15.
vtque.	l. vsque.	196.	2.
cultor.	l. cultro.	201.	19.
propina.	l. popina.	201.	21.
vetò.	l. verò.	206.	15.
cælo.	l. zelo.	207.	11.
sestis.	l. sestus.	226.	17.




Tn
2714